



1
7
411






Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.411



















B

OBSERVATIONES
ET
CONJECTURÆ
IN
NUMISMATA
QVÆDAM ANTIQVA,
ΠΑΡΕΡΓΟΝ

Laurentii Begeri,
Consiliarii Electoralis Brandenburgici, ab Antiquitatibus
& Bibliotheca.

Accedunt Duæ
ILL. EZ. SPANHEMII ad Authorem Epistolæ,
iisque interjecta
Authoris ad priorem Responsoria.





COLONIÆ BRANDENBURGICÆ,
Typis Ulrici Liebperti, Electoral. Brandenb. Typogr. Anno MDCXCI.



VIRO
ET ERUDITIONIS SUBLIMITATE
& meritorum gloria ac dignitate
ILLUSTRISSIMO

DN. EZECHIELI SPANHEMIO,

SERENISSIMO ELECTORI BRANDENBURGICO
a Consiliis Statûs & Secretioribus,
SUMMOque
Cimeliarchii & Bibliothecæ Electoralis
PRAEFECTO
salutem, debitâ cum animi submissione,
præfatur
AUTHOR.

INviso hactenus qvievi silentio: Et adhuc tacerem, nisi Regia Gloriosissimi

AUGUSTI NOSTRI in Musas clementia TE, VIR ILLUSTRIS, qvem inter Maximos hoc sæculo literarum Mæcenates Tuo merito veneramur, præter alia, qvibus præpositus es, Tuo fastigio dignissima, etiam summum Suæ & Bibliothecæ & Cimeliarchii constituisset Patronum. Eo enim facto non tantùm Electoralis Heliconis gloriæ consultum fuit, sed etiam mihi, qvi gravioribus negotiis, nisi ex officio interstrepere non auderem, liberior repente ad TE patuit aditus, tam gratiosâ humanitate radiantem, ut primo etiam intuitu & silentium mihi excusseris & diutinâ licet qviete languidum ad audendum aliqvid impuleris.

Fateor, qvod res est, VIR ILLUSTRIS, Instar statuæ Memnonis incalui, cùm de Cimeliarchio Electorali & jucundissimo Venerandæ Antiqvitatis studio sermones mecum miscere dignareris. Qvamvis

vis enim noverim, nihil difficilius esse, qvàm docere, qvæ alii ignorârunt, nihil arrogantius, qvàm Illustribus, qvibus Europa nostra fulget, omnigenæ Eruditionis Sideribus lampadem admovere velle; Tamen non habitâ ratione vel virium mearum, vel invidiæ, quædam in medium proferre sustinui, quorum certiorem interpretationem contra communes Authorum opiniones ex numismatum contemplatione mihi visus eram paravisse. Id egi non tam, qvòd cuilibet liberum scirem sine, felle sententiam suam depromere, qvàm Tuâ, VIR ILLUSTRIS, illectus & humanitate, & gloriosâ Nobilioris Antiquitatis notitiâ, quarum altera Te mihi judicem spondebat, altera si mecum faceret, securitatem promittebat contra quamcunque malignioris calami acerbitatem.


Non defuit spei meæ eventus. Observationes meas & benignè respexisti, & ut

Ty-

Typis descriptas ad Tuum tribunal deferre liceret, gratiosissimè concessisti.

Accedo igitur, quâ cum veneratione par est, primitias proponens, quas citra Cimeliarchii Electoralis, cujus gloriæ potiora reservo, detrimentum proponere possum.

Accedo percitus, non prurigine scribendi, multò minus lædendi famam eorum, contra quorum opiniones forsitan militavero, sed solâ cupidine Utilitatis publicæ, cui lætus sacrificabo, si Te Judice dignam victimam attulero. Dabam in Musæo Electorali, X. KAL. FEBRUAR. M DC LXXXX.



Præ-





On omnia novimus omnes. Imò nec omnes omnia ignoramus. Doctissimus est, qvi pluribus Scientiarum radiis illuminatur; Negari tamen non potest, etiam Doctissimos interdum latere, qvæ rudioribus aperuit sive fortunæ favor, sive laboris constantia. Pauca in exemplum hoc Syntagmate conabor.

I.
APOLLO PILEATUS.
in
Nummis Aetolorum.



IN Numismatibus Ætolorum, à Goltzio propositis, interpres Nonnius, sub capite petasato *Mercurium* agnoscit sed, sine pinnulis;

nulis; Sub figura haſtata autem qvendam habitu *Venatoris*, addens: *Ætolos venationibus deditos fuiſſe.*

Mihi aliud videtur. Et figuram haſtatam, & caput pileatum ejusdem arbitror eſſe. Qvod figuræ haſtatæ à tergo dependet, id caput pileatum in vertice oſtendit. Utrinqve forma convenit. Utrinqve *Pileus* eſt, qvem in Numiſmate Auguſti,

2. 

Qvod & ipſum Nonnius citavit, eodem modo Apollo à tergo dependentem oſtendit, qvo in figura, qvam Nonnius Venatorem interpretatur, cernimus. Ut ita vel ex hac convenientia colligas, in Numismatibus Ætolorum eundem Apollinem exhiberi.

Suffragatur conjecturæ Hiſtoria, in altero Aetolorum numismate expreſſa.

3. 

De Apro Calydonio agi, Aper oſtendit; Calydon enim Ætoliæ Urbs fuit. De Apri venatione agi, oſtendit Venabulum apro ſubjectum.

jectum. Et ne de Apolline dubites, narrat Pausanias: Venabulum Meleagrum Apollini dedicasse. Verba hæc sunt:

Ἐπὶ τὸν Σύθαν ἴασιν οἱ παῖδες τῇ ἑορτῇ τοῦ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ, Καὶ ἀγαγόντες δὴ τοὺς θεοὺς εἰς τὸ τῆς Πειθοῦς ἱερὸν, αὖθις ἀπάγειν εἰς τὸν ΝΑΟΝ φασὶ τοῦ ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ὁ δὲ ναὸς ἔστι μὲν ἐν τῇ νῦν ἀγορᾷ. τὸ δὲ ἐξ ἀρχῆς λέγουσιν αὐτὸν ὑπὸ Προίτου ποιηθῆναι. τὰς γὰρ οἱ θυγατέρας ἐνταῦθα τῆς μανίας παύσασθαι. λέγουσι δὲ καὶ τάδε ὡς Μελέαγρος ΕΣ ΤΟΥΤΟΝ ΤΟΝ ΝΑΟΝ ἀνέθηκε τὴν λόγχην, ᾗ τὸν σῦν κατειργάσατο.

id est, interprete Amasæo: *Pueri festo* Apollinis *die ad Sythan veniunt, ac Deorum signa in ædem Svadelæ deportant, deinde* in templo Apollinis *ea reponunt. Ac ipsum qvidem templum, qvod hoc tempore exstat, in foro est. Vetustum verò à Prœto dedicatum tradunt, qvo in loco ejus filiæ furoris morbo liberatæ sunt. Addunt* Meleagrum in hoc ipso templo hastam *posuisse, qvâ Aprum confecerat.*

In memoriam venit & nummus Rhodiorum, apud Goltzium, qvi tamen vel unicè Apollinem signarunt: Imò & Aureus Cyrenæorum,

4.




Qvem inter Palatinos ante aliqvot annos vulgavi: In eo Eqves & ipse Petaso insignis est: Imò adjectum cernimus & Solem, cujus Apollinem Aurigam Antiqvitas credidit. Eqvitem tunc ad *Eqvestrem Cyrenæorum peritiam* retuli, adducto in asserti fidem Pindaro; Solem autem retuli ad Apollinis Cultum, cujus Sacerdotium ne Reges adspernatos fuisse, ex Athenæo docemur. Nunc, qvæ tunc disjunxi, pronus sum, ut jungenda existimem: Ita

 ut

ut ſub Eqvite non tantùm eqveſtrem peritiam, ſed vel Apollinem ipſum, vel certè Regum aliqvem Apollinis ſacerdotem agnoſcam. Non adjectus tantùm Sol id perſvadet, ſed et habitus Eqvitis, qvi & ipſe cum Apolline Auguſti convenire videtur.

II.

ΟΙΚΙΑΙ ΙΣΟΥΨΕΙΣ
ſive
ÆDIFICIA ÆQVALIS ALTITUDINIS, PARALLELARUMQVE PARIETUM.
In Inſula Siphno,
Diverſoria eorum, qvi in Auriſodinis operabantur.

5. 

NOnnius Goltzii interpres, licet Siphnum ex Aurariis & Argentariis tantas opes paraviſſe aſſerat, ut ex Decimis apud Delphos Theſaurum repoſuerint, locupletiſſimo cuiqve non inferiorem; tamen incertum eſſe ait, qvale in propoſito Numiſmate ſit Ædificium? an Turris qvædam, an Pharus?

Mi-

Mihi cùm de Aurariis legerem, continuò in mentem venerunt *Ædificia æqvalis altitudinis æqvaliumqve parietum*, in qvibus, qvi in Aurifodinis operabantur, ſi Svidam audis, habitavère. Verba Svidæ hæc ſunt: ἰσοϋψεῖς οἰκίαι καὶ παράλληλοι τοῖ τείχει ἐν Σιφλῷ (lege ἐν Σιφνῷ) ὄσαι καταλύματα τοῖς ἐργαζομένοις τὰ χρύσεια μέταλλα.

Certè, ſi numiſma conferam, parallelos parietes in ædificio hoc invenio: Nec de nihilo eſt, qvòd etiam altitudinis mentio fiat, non in parietibus, ſed in ædificiis ipſis; Altitudo enim propoſiti, ſpeciem Turris refert, nec dubium eſt, eandem figuram & reliqva habuiſſe: Scilicet, cùm tantum ex Aurifodinis Siphnii utilitatem traherent; credibile eſt, Operariorum diligentem Eos cuſtodiam egiſſe, id qvod nullâ re aptius fieri potuit, qvàm Ædificiis ejusmodi, Turrium in ſpeciem æqvali altitudine exſtructis, in qvorum ſummitate Vigil cuncta perſpicere poſſet, qvæ circum gererentur.

Apud Herodotum in reſponſo Oraculi, qvod tale eſt,

Ἀλλ᾽ ὅτεν ἐν Σφνῷ πρυτανήια λευκὰ γένηται
λευκόφρυς τ᾽ ἀγορή.

Etiam *Prytanei* mentio eſt, Imò & *Fori Pario Marmore* exſtructi; Sed veriſimilius eſt, id monumenti Siphnios Numiſmate expreſſiſſe, qvod non tantùm felicitatis ſuæ Fontem oſtenderet, ſed & Nominis ſimul index eſſe poſſet, ſi verum eſt Etymon Bocharti, Siphnum Phœnicicè צפנא *Siphna* dictum aſſerentis, qvia צפן *Saphan* ſignificet *recondere*, & צפונים *Sephunim Theſauri reconditi* ſint, qvod apprimé convenit cum eo, qvem apud Delphos repoſitum modò diximus.

III. Ida-

III.

IDALIUM URBS CYPRI.

à VISO SOLE,

qvi exſtruendæ auſpicium dederat,

denominata.



6.

MIratur Nonnius, qvid Apollini cum urbe Veneri ſacra? ſed mirari deſiuiſſet, ſi legiſſet apud Stephanum: *Chalcenorem, cùm Oraculum datum eſſet, ut illic urbem conderet, ubi primùm* Orientem Solem *conſpicaretur, unusq; ex comitibus, qvi fortè adſtabat, ad eum converſus,* ἴδον ἅλιον *vidi ſolem, dixiſſet,*

ſet, omen arripuiſſe civitatemqve ibi exſtructam ob eo verbo appellaſſe. Solem certè in altero numiſmate cernimus, & Solis Aurigam eſſe Apollinem, in Vulgus patet, non minus ac Eqvi Gryphisqve conſecratio, de qvibus proinde plura hic addere superſedemus. Verba Stephani ſubjicere ſufficiat, ut & origo urbis & etymon appellationis ad nummos collatæ eò clarius pateſcant. Ἰδάλιον πόλις Κύπρου. Χρησμὸς γὰρ ἐδόθη, ὅπου ἴδοι τὸν ἥλιον ἀνίσχοντα, πόλιν κτίσαι. ὁ οὖν χαλκήνωρ πορειῶν, τίς τῶν σὺν αὐτῷ ἔφη, ΕἸΔΟΝ, βασιλεῦ, ΤῸΝ ἌΛΙΟΝ. Ἀφ' οὗ ὠνομάσθη τὴν πόλιν.

IV.
AMAZON, an MINERVA in Nummis Amiſenorum.

7.



Caput, qvod in Numismatibus Amiſenorum, inuſitatâ ſpecie galeatum viſitur, Nonnius Goltzii interpres ait, *Viri eſſe.* Mihi, ſi modo ſculptor Goltzii id exactè delineavit, non Viri videtur, ſed *Fœminæ.* Id non tam ex ductu lineamentorum mihi videor colligere, qvamqvam & hinc forſitan argumentum ſurgat, qvàm ex adornatis ſub Caſſide fœmineum in morem capillis. Ex Viris certè, qvi ejusmodi mundum præferat, hactenus, qvod meminiſſem, non apparuit, præter Apollinem & Bacchum, qvi-

qvibus tamen, an Galea tribui possit, adhuc incertum est. Eò sanè usqve, dum doceatur, non Viri hoc Caput crediderim, sed Mulieris

Duæ sunt apud Græcos Mulieres an Deæ? qvibus in nummis Galeæ affinguntur, *Venus* & *Pallas*. Veneris exemplum habes in nummis Curii Urbis Cypri.

8. 

Venerem hanc esse, ipse Nonnius conjicit: Et fulcitur opinio, non tam avibus aversæ, qvàm loco signati numismatis, qvem Veneri sacrum novimns: Imo & blando langvore, qvo caput inclinatur. An eadem sit, qvæ sub cognomine *Armatæ* Lacedæmoniis culta fuit, alii videant. Qvicqvid sit, ad exemplum ejus etiam apud Romanos *Venus Victrix* Galeam, si non capite, tamen manu prætulit. Seqventia contemplare!

9. 

Primum signatum est sub Cæsare, & in honorem divinæ Ori-

Originis, qvam à Venere repetebat, & in memoriam Tesseræ militaris in præliis Pharsalico & Cordubensi. Alterum est Augusti, demonstratqve in Venere adoptionem, Cæsaris Testamento factam, qvâ Juliæ familiæ, à Venere, ut modo dictum, oriundæ germen videri cœpit. Tertium est Titi, ostenditqve in deliciis orbis Terrarum, vel imperii auspicium, qvod, Svetonio teste, Venus Paphia ei dedit, vel delicias in memoriam revocat, in qvibus Berenicen habuisse memoratur: Adeò, ut hæc Venus Martem illum exarmasse, Victoriæqve suæ Spolia in Numismate videatur jactare.

Imò non tantùm à Venere Græcorum armata, sed etiam à Pallade, qvæ fœminarum, sive Dearum, Galeâ ornatarum, altera est, cujusqve effigies millenis in Numismatibus prostat, Romani ornamenta desumsere: En Romam & Virtutem Militarem!

10.



Romam ad effigiem Minervæ effictam, testatur Claudianus:

ROMA triumphatis quæ possidet æthera regnis
Aßilit innuptæ RITUS IMITATA MINERVÆ.

Et cùm Virtutis idem planè habitus sit, nec de hâc arbitramur dubitandum.

At át! Annon Roma & Virtus Amazonum ritu prodeunt? Annon exerta mamma id testari videbitur? cùm Penthesilea Virgilio memoretur

Aurea subnectens exertæ cingula mammæ.

Sed mammam dextram ostendunt, qvam Amazonibus adustam historia docet, unde & Virgilium non de Mamma dextra, sed de sinistra intelligi debere, jam dudum Eruditi notârunt, Galea rem propius tangit, qvam & ipsam, an Amazonibus tribuas, forsan dubitaveris. Seqvens Gemma, qvod apud Angelonum habetur, dubium fulcire poterit.

11. 

Amazonem eâ præfigurari, vel ex pelta agnoveris humi jacente,

te, cúm *CLAUDIANUS Peltatam cohortem,* & *VIRGILIUS.*

Amazonidum Lunatis Agmina peltis, dixerit; Sed Galea abest, & si Diodorum audis, Amazones, origine Africanas, exuviis serpentum usas arbitraberis, id qvod tamen de Scythicis non facilè asserendum, utpote qvæ Martis progenies fuére, qvem Galeâ usum, nemo negaverit. *STRABO Amazonibus Galeas ex pellibus ferarum*, ait, *fuisse*. Idem etiam *Themiscyram Amazonum domicilium LX. tantum stadia ab Amiso*, de cujus nummis hìc sermo est, *distantem* narrat, imò & *eandem sub ejusdem imperio fuisse*, asserit: Ut ita dubium subeat, annon Amazonum aliqva sub hoc capite lateat? Nihil obstat Pegasus; Cùm enim hic Bellerophontis fuerit, Bellerophon autem, teste Homero, præter alia, etiam Amazones debellaverit, forsitan Amiseni gloriam Antiqvitatis suæ hoc Symbolo celebrare voluerint? Qvicqvid sit, eas paulisper seponimus, visuri, qvid de Venere adferri possit, qvid de Minerva? ut ita liberius Lectori judicium relinqvamus.

Venerem non tantùm Armatæ cognomen videtur commendare, sed etiam seqvens Amisenorum numisma,

12. 

Cujus caput muliebre, cui potius addicas, qvàm VENERI?

Forſitan APOLLINI, cujus in averſa Tripos eſt, cùm *à Mileſiis, à Mileto Apollinis filio ortis*, qvibusdam memoretur condita? ſed diverſos Deos eodem nummo celebrari, inſolitum non eſt. Qvid qvòd ipſe NONNIUS hîc mulierem agnoſcat? nec Apollinis ſit ornamentum, qvod ſupra frontem cernimus? Mulierum id proprium eſt, qvod centenis ex numiſmatibus probari poteſt, ut ita nihil prohibeat, qvò minus ſub effigie hâc VENEREM, & ſub ſuperiore VENEREM GALEATAM agnoſcas.

Hæc ſatis ſpecioſè dici poſſunt. Qvanqvam etiam ſint, qvæ pro Minerva adferri debeant. Similitudo Galeæ in medium prodit, cùm Minerva eandem ferè etiam alibi præferat. Exemplo ſint ſeqventia:



13.



Qvorum primum ex ΗΡΑΚΛΗΤΩΝ, Secundum ex Romanorum Græci ponderis, Tertium ex Hyelenſium, Qvartum ex Picenorum,

norum, Qvintum ex Thurinorum, nummis desumtum est, & omnia apud Goltzium visuntur. Qvid dicemus? Annon Galea hæc, Galeæ Amisenorum qvadrat? Si ornamenta demas, & laminas genarum præsidia addas, nihil video, qvod obstare possit: indeqve non aliam in Amisenorum nummo expressam forsan arbitraberis, qvàm Minervam: Idqve eò magis, qvòd sub hujus imagine commodè & Amisenorum originem nobis imaginemur. Amisus certè non tantùm primò à *Milesiis Jonico populo*, teste Theopompo apud Strabonem, condita est; Sed etiam vel ipso Nonnio agnoscente, ab *Athenocle & Atheniensibus* fuit habitata, qvorum Dea Tutelaris *Minerva* erat; Qvamqvam *Pegasus* aversæ potius ad Corinthum spectare videatur, apud qvos Minervæ auxilio Pegasum à Bellerophonte captum, Antiqvi tradiderunt, à qvo facto & nomen *Minervæ* χαλινίτιδος sive *frenatricis* apud posteros mansit.

V.

ΖΕΥΣ ΛΑΙΟΣ.

in

Nummis Abderitarum

14.



CAput Laureatum in Numismatibus Abderitarum, Philippum referre, arbitratur Nonnius; Qvid autem sibi velint verba

 illa

illa ΕΠΙ ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ, ait, hactenus ſibi ignotum eſſe. Ego an certi aliqvid adferre poſſim, tentabo.

Gryphes Apollini ſacri ſunt, vel ipſo Nonnio agnoſcente: Annon Apollinis igitur caput in Capite Laureato? Novi caput Philippi in numiſmatibus etiam laureatum occurrere, ſed id fit ob victoriam de Phocenſibus, ut alibi docebitur. An eandem celebraverint Abderitæ? An ſuffragabitur Vicinitas urbis, capillorumqve brevitas? cùm caput Apollinis longioribus plerumqve ornatum proſtet?

Sed in Lineamentis à Philippi facie, qvam infra videbimus, non exigua differentia eſt. Indeqve, ſi regis cujusdam effigiem arbitreris, non tamen Philippo ea erit addicenda: Et ſi Regi cuidam addicas, non tamen excludes Apollinem, cui ſacer Gryphis in averſa viſitur: Imò cui etiam inſcriptio aliquo modo quadrare videtur. ΕΠΙ ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ legimus. ΛΑΙΟΣ *ſiniſtrum* aut *lævum ſonat*. Ut apud Herodianum ἐν τῷ λαιῷ μέρει *à lævâ*: Sic inſcriptionem ΕΠΙ ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ *ſub jove ſiniſtro* interpretamur, id quod idem crediderim, quod apud Romanos eſſet, *Sub Vejove*. Vejupiter ſcilicet, niſi quòd fulmine inſtructus ſit, eodem ferè modo cernitur, quô in propoſitis Numiſmatibus ξεὺς λαιὸς. Id ſequentia demonſtrant:

15. 

In quibus caput non tantùm imberbe & juvenile, ſed etiam Lau-

reà coronatum, quô modô alibi Apollo Solis auriga præfigurari ſolet, qui quòd, peſte præſertim, jaculis, hoc eſt radiis ſolaribus, perdere ſoleret, id nominis ἀπὸ τοῦ ἀπόλλυσθαι habuiſſe memoratur: Indeque cum Vejove & jove ſiniſtro optimè convenire videtur, cùm conſtet, ſiniſtrum non tantùm *locum* denotare, ſed & *infelicitatem*, eò quòd ſiniſtra fuerint infelicia, ut in illo Virgilii,

Sæpè ſiniſtra cava prædixit ab Jlice cornix

Prout non minus *Lævum* apud eundem

Sæpè malum hoc nobis, ſi mens non læva fuiſſet
De cælo tactas memini prædicere qvercus.

Quid ni igitur & Vox λαιὸς apud Græcos? Commodè ſuccurrit Euſtathius in Odyſſ. p. 30. lin. 27. Λαιὰ μὲν τοι χεῖρε, οὐκ ἐξῆν ἅπτεσθαι ἀλλήλων τοὺς φιλομένους. Δίοτι ἐν κακῇ μοίρᾳ οἱ παλαιοὶ ἐτίθεντο τὰ μὴ δεξιά. ὅθεν καὶ τὰ φαῦλα συμπτώματα, λαιὰ καὶ ἐπαρίστερα ἔλεγον.

Sed id juxta notandum, quod in *Vejove* & Jove λαιῷ Antiquitas Solem cum aere conjunxerit. Conſtat enim Jovem, à quo Vejovis & Διὸς λαιοῦ nomina ſunt, non minus aërem deſignare, quàm ſub effigie juvenili, imberbique, & Laureatâ, Apollinem ſolis Aurigam latere.

Hæc cum ita ſint, videndum, quid in Numiſmate Abderitarum Διὸς λαιοῦ nomen? quid effigies?

Lucianus in libro, *qvomodo conſcribenda ſit hiſtoria*, ex interpretatione Benedicti, quam ob loci amplitudinem adſcribimus, ſequentia habet: *Abderitis*, inquit, *Lyſimacho jam regnante, morbum hujusmodi ajunt incidiſſe. Videlicet, primum omnes in totâ civitate febri correptos fuiſſe, eâqve à prima ſtatim die validâ & continuâ. Circa ſeptimum autem diem, aliis multam ſangvinis è naribus fluxionem, aliis copioſum ſudorem obortum, febrim ſolviſſe. Cæterùm ridicula qvædam perturbatio mentes illorum obſedit; omnes enim ad Tragœdiæ actionem permove-*

movebantur & Jambos recitabant, & vociferabantur. Imprimis verò Euripidis Andromedam flebiliter canebant, & Persei sermonem concinnè referebant, plenaqve erat civitas pallidis omnibus macilentisqve septimanis illis Tragœdis, Illudqve: O Tu Deorum, Tu Tyranne hominum Amor! *aliaqve magna voce clamantibus, idqve perqvàm diu, donec hyems magno cum frigore oborta, delirium ipsorum compescuit. Causam verò ejus rei mihi videtur præbuisse Tragœdus* Archelaus *illo tempore celebris, qvi* media æstate multo æstu *Andromedæ fabulam ipsis egit, ita ut multi ex Theatro redirent febricitantes, & seqventi die mentibus eversi, in eandem tragœdiam delaberentur, illorum memoriæ svaviter inhabitante Andromeda, ac Perseo, unâ cum Medusâ, singulorum animis adhuc obvolante.* En morbum Abderitarum! En & morbi causam, æstum scilicet, qui à sole procedit. Hæccine sufficiens ratio? cur solem infectumque, vehementiore solis æstu, aërem, Διὸς λαιȣ̃ Jovis sinistri nomine venditent?

Sed ais: Propriam ita infelicitatem consecraverint? Respondeo: cùm hoc ab æstu sibi illato morbo ubique diffamarentur Abderitæ, adeò ut *Abderitica mens*, pro stupido in adagium abierit, & CICERO, *de nat. Deorum Abderitanos stupori mentis obnoxios* scribat: Imo & PLINIUS l. 25. c. 8. *apud Abderam pascua esse* testetur, *in qvibus Eqvi pasti in rabiem vertantur;* In tantum ut JUVENALIS non dubitaverit *Vevecum patriam* Abderam appellare, potius est, ut famæ publicæ iniqvitatem, in effigie Διὸς λαιȣ̃, additoqve Apollinis Gryphe credantur refutasse, qvasi dicerent: Licet æstu vehementiore in morbos incidere adeòqve ἐπὶ Διὸς λαιȣ̃ sub jove sinistro videantur siti, morbum tamèn non esse pudendum, sed qvi dignos Apollinis Alumnos efficiat. Opinionem fulciunt celeberrima Abderitarum ingenia, Demo-

Democritus, Protagoras, Anaxarchus, Hecatæus, & Nicænetus; aliique, qui passim apud Authores idoneos celebrantur.

VI.

HERCULES
Geryone domito, in Italiam regressus,
Cacum interfecit,
erectâqve arâ maximâ
Jovi inventori bovem immolavit.





16.





URSINUS Deos Penates, in nummo Antiæ gentis secundo, expressos arbitratur, vel qvòd Antia Restionum familia Lanivio oriunda fuerit, vel qvòd Legem tulerit Restio, qvæ ad

augendam religionem Penatium Deorum pertineret. Idem etiam de nummi tertii Ara & Capite bovis infulâ redimito, non dubitari posse, ait, qvin ad Sæculares ludos, qvibus id animal sacrificabatur, qvibusqve ex Restionum familia XV. Vir aliqvis interfuerit, sint referenda. De Hercule tropæum ferente omninò tacet.

Ego aliter: Dii Penates colebantur Lavinii, qvam urbem, ut infra dicetur, Æneas condidit. Æneam inter Romanorum Progenitores connumerari, dubium non est: Imò & ipsum Deos Penates Lavinii collocasse, testimonio VALERII MAXIMI constat.

Hæc cum ita sint, qvid obstat, qvò minus sub Diis Penatibus originem Romanæ gloriæ contemplemur? & qvidni etiam sub Hercule?

Hercules tropæum præ se fert, qualis Geryone in Hispania domito, in Italiam advenit. Hercules clavam elevat, in modum percussuri, qvalis ob Boves sibi surreptas percussit Cacum.

Hæc cùm opinioni nostræ serviant, qvidni serviat & ara, & caput bovis infulatum? si constet, Herculem Aram cognomento maximam erexisse, bovemqve de grege eximiam super ea immolasse, cùm ab Evandro perpetratæ cædis absolutus esset?

Hæc si probè considerentur, nemo non videbit, Antium Restionem, cujus effigies ad Ciceronis ævum pertinet, his Numismatibus non sua, non suæ familiæ celebrare decora;

Sed unicum esse in illustrandis Romanorum antiqvitatibus.

VII.

LUPÆ & AQVILÆ,

qvæ
Aeneæ Lavinium condituro præsagium dedère
ænea simulacra
LAVINII fuisse, non LANIVII.

17. 

Lupa & Aquila, quæ proposito in Numismate exhibentur, ex Dionysio Halicarnassensi interpretationem recipiunt. URSINUS eam suppeditat, non denuó proponendam, si qvoad urbem, in qva Animalium istorum simulacra durasse leguntur, eandem Dionysio fidem habuisset, qvam habuit qvoad portentum.

De Lavinio & Lanivio lis est: Qvod Dionysius de Lavinio loqvitur, id Ursinus de Lanivio asserit: *Nec de Dionysio, ait; dubitandum est, qvin ipse qvoqve, nominum similitudine deceptus, Lavinio tribuerit ea, qvæ Lanivio tribuenda erant.* Unde hoc probaverit Ursinus? Audi! *Fuisse Lanivi*, inqvit, *non Lavini Simulacra illa ænea, ex sexto Tabellæ denario facilè intelligitur, in qvo Papius, ad indicandum familiæ genus è La-*

nivio ortum, notam Lanuvini serpentis in eo fabulam impressit. Et jam ante: *L. igitur Papius Triumvir, ut Papiam Gentem Lanuvio oriundam indicaret, Aqvilæ & Lupæ ænea monumenta, qvæ in foro Lanuvinorum exstabant, simulacrumqve sospitæ Junonis, qvæ Lanuvii colebatur, in denariis expressit.*

Hæc URSINUS, cujus, si qvod sentio fateri licet, infirma videtur contra Dionysium ratio; Qvid enim obstat, qvò minus Papius hic Celsus, qvi nummos signavit, in Dracone & Junone Sospita Lanivium respexerit? in Lupa & Aqvila autem Lavinium? Nonne eleganter ita familiæ suæ origines conjunxerit cum originibus Romæ? Librarios peccasse, non crediderim; Dionysius enim de urbe loquitur, quam Æneas condidit, Lanivium autem à Diomede Conditam, ex APPIANO discimus. Utriusqve verba subjicienda sunt, ut certius inde judicium ferri possit! Appiani hæc sunt, ut ea restituit & interpretatur Phil. Cluverius in Ital. Antiqva lib 3. *Ægrè id ferens Milo profectus est Lanivium, qvam primam fertur Diomedes, post captum Ilium, in Italia condidisse urbem, dissitam à Roma stadia CL.* Scio in authore legi LAVINIUM; Sed LANIVIUM legi debere, non tantùm ex sitú constat, sed etiam ex authoritate Ciceronis. Ejus hæc sunt, Pro T. Annio Milone: *Qvum sciret Clodius, iter solenne, legitimum, necessarium ad diem XIII. Kal. Febr. Miloni esse* Lanuvium *ad Flaminem prodendum, qvòd erat Dictator* Lanuvii Milo. En de eodem Milone loqvitur, de qvo & Appianus, & bis *Lanuvium* repetit. Et alibi *Viâ Appiâ fuisse dicit, longius à Mari remotum*, cùm Lavinium tria tantum passuum millia absuerit: Ut ita de Appiani testimonio constet,

Au-

Audiamus & Dionysium! *Fertur*, inquit ille ex collatione Fried. Sylburgii. *Fertur, dum* Lavinium *conditur, oblata Trojanis qvædam prodigia, in nemore, accenso suâ sponte igni,* Lupum (nummo monente legimus Lupam) *ore aggesfisse fomitem aridum: ibi* Aquilam *advolasse & alarum ventilatione flammam excitasse: Vulpem contra, caudâ in flumen intinctâ, ignem ab aliis accensum aspersisse, & nunc accedentibus, nunc exstinguente prævalentibus, tandem vicisse illos duos, hanc verò abiisse conatu irrito. Qvo viso ÆNEAM dixisse: illustrem, nobilemqve, & mirandam futuram eam coloniam; Sed suis incrementis invidiosam, & molestam circum vicinis; fore tamen, ut tandem vincat adversarios, humanæ invidiæ prævalente favore Numinum. Tam insigne futuræ urbis præsagium tunc accidisse dicitur, exstantqve rei monumenta in foro* Laviniensium, *longissimò ibi tempore asservatæ.*

Omnia plana sunt! De *Lavinio*, loqvitur qvam urbem Æneas condidit, ibiqve ænea horum animalium signa dicit fuisse: Non de Lanivio opere Diomedis; Unde & nescio, qvid dubii superesse possit?

VIII.

TULLI HOSTILII
fœdus cum Albanis
de
Bello, Trigeminorum certamine, componendo.

18. 

HOc Veturiæ gentis numiſma URSINUS ad fœdus inter Romulum & Tatium videtur referre. Ego ad fœdus Hoſtilii cum Albanis: Idqve tribus, licet fragilibus forſan, potioribus tamen, qvàm URSINI rationibus. Primò, Veturiæ Gentis prima mentio ſub Numa occurrit, Indeqve probabile qvidem eſt, eam Romæ ſub ſeqventibus Regibus duraſſe, cùm & poſterioribus temporibus memoretur; Qvis autem inde certò aſſerat, etiam ſub Romulo fuiſſe? Deinde, Livius aſſerit, nullam Vetuſtiorem fœderis inter Hoſtilium & Albanos, memoriam ſuo tempore exſtitiſſe. Si vetuſtioris memoria non exſtitit, qvomodo potuit Vetuſtius numiſmate exprimi? Tertiò, convenit & modus percuſſi Vetuſtiſſimi hujus fœderis cum expreſſis in numiſmate figuris. Media porcum tenet, adſtantibus utrinqve, imò & porcum tangentibus duobus aliis, qvos Fecialem arbitror, & Patrem Patra-

tratum. Unicum dubium eſt. Livius *fecialem M. Valerium facit;* Sed quis dijudicet, annon pro Valerio exiguâ literarum mutatione Veturius legi debeat, occurrente fœderis memoriâ in Veturii nummo? Reliqva ſanè apprimè conveniunt. Audiamus Livium: *Ita factum accepimus, NEC ULLA VETUSTIOR FOEDERIS MEMORIA EST. Fecialis Regem Tullum ita rogavit: Jubesne Rex cum Patre Patrato Populi Albani fœdus ferire? Jubente Rege, Sagmina, inqvit, Te Rex poſco. Rex ait, puram tollito. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit, poſteá Regem ita rogavit: Rex, faciſne me Tu Regium nuncium Populi Romani Qviritium? Vaſa, Coteſqve meos? Rex reſpondit: Qvod ſine fraude meâ Populiqve Romani fiat, facio. Fecialis erat* M. Valerius (*an* Veturius?) *Patrem Patratum Sp. Fuſium fecit, verbenâ caput capilloſqve tangens, fœdus, multisqve id verbis, qvæ effata longo carmine non operæ eſt referre, peragit: Legibus deinde recitatis, Audi, inqvit, Juppiter! Audi Pater Patrate Populi Albani! Audi Tu Populus Albanus! ut illa palam prima, poſtrema, ex illis Tabulis Cerave, recitata ſunt, ſine dolo malo, utiqve ea hîc hodie rectisſimè intellecta ſunt. Illis legibus Populus Romanus prior non deficiet. Si prior defecerit, publico Conſilio, dolo malo, Tu illo die, Juppiter, Populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc* Porcum *hodie feriam: tantòqve magis ferito, qvantò magis potes polleſqve. Id ubi dixit,* Porcum *ſaxo ſilice percuſſit.*

IX.

IX.

TULLUS HOSTILIUS

Victis Fidenatibus pacem dedit.

19.



CUr Victoriæ simulacrum hoc in nummo signatum sit, qværendum esse, Ursinus ait. Obseqvar & conabor. In adversa video Caput Clementiæ olivâ præcinctum, in aversa Victoriam non tropæum tantùm, sed etiam caduceum ferentem.

Victoria cum Tropæo & Caduceo, qvin Pacem adumbret Victoris arbitrio datam, nescio an dubitari possit. Si admittas, sub Capite Clementiæ tutò Pacis Æqvitatem intellexeris. Pacem hanc & æquam, & Victoris arbitrio datam, Hostiliæ familiæ decus esse, facilè persuaserit inscriptio, & cujus in ea? Si non *Tulli* Romanorum Regis, qui cùm luctantem contra vicinos Patriam defenderet, hostes & victoriosè prostravit, & prostratos Clementiæ Aurâ refocillavit? Vel soli Fidenates asserti documentum præbent: Cùm hos altero jam prælio fudisset, oppidumq; cepisset, civibus tamen pepercit. Dionysii verba adscribimus ex interpretatione Sylburgii: *Tullus Rex intermisso per inseqventem hiemem bello, ineunte Vere iterum contra Fidenates ducit*

exer-

exercitum. His nulla publicè Auxilia ab ulla ſociarum Civitatum ſubmiſſa fuerant, ſed mercede conducti qvidam ex multis locis eò confluxerant, qvibus freti urbem egredi auſi ſunt. Verùm collatis ſignis, multisqve in pugna interemtis, rurſus intra Mœnia ſunt compulſi. Ut verò à Tullo foſſa atque Vallo cincti, ad extremam redacti ſunt inopiam, neceſſe habuerunt ei ſe dedere, quibus ipſe vellet conditionibus. Is ad hunc modum urbe potitus, occiſis defectionis ſociis, reliqvis & veniam dedit & omnium ſuorum bonorum uſum & fructum permiſit, redditoqve ipſis priſtino Reipublicæ jure dimiſit exercitum. En clementiam Victoris! En pacem Victoris arbitrio datam!

X.
ANCUS MARCIUS GALEATUS

20. 

EFFigiem hanc ex Gente Marcia depromtam Urſinus, & cum eo Ill. Patinus L. Marcii imaginem arbitrantur, cui in Hiſpania concionanti è capite flamma eluxit, de qva re videri poſſunt Valerius Maximus lib. 1. c. 6. Plinius lib. 2. c. 110. & Livius l. 25. Cl. Vaillant contra in Nummis Regum Syriæ, ſub Antiocho X. p. 389. ſi rectè locum intelligo, Philippo Perſei Patri videtur adjudicare, aſſerens, *ſibi eſſe eam in rem ad amicum diſſertationem.* Fateor, ut Urſino calculum negaret Vaillantius, cauſam ſonticam fuiſſe; Non enim Galea tantùm, ſed etiam *faſcia* Galeæ

circumposita luce meridianâ clarior cernitur. Imò nec flammæ apparent, sed cornua fasciæ alligata, qvod cùm aliâs in diademate fieri soleat, uti testantur Numismata Lysimachi, Antigoni & aliorum, qvid obstat, qvò minus & fasciam hanc diadema credamus? Credidisse videtur Vaillantius ideóqve L. Martio Eqviti Romano eam abjudicasse, Regi Philippo Persei patri autem addixisse: Prius qvidem nostro judicio rectè, an & posterius, liceat bonâ celeberrimi Viri cum veniâ aliqvantisper dubitare; Neqve enim vel litera φ. quam præpositam cernimus, rem confecerit, non magis ac postpositum monogrammon ROMA. Qvid enim Philippus Macedoniæ Rex in nummo Romano, cùm totâ ferè Regiminis sui periodo Romanorum vel hostis fuerit, vel infidus amicus? Poterit Litera φ. quidem initialis esse nominis Philippi, sed ut Græcum Etymon ostendatur ejus Philippi, cujus nomen in aversâ visitur, non ut Græcæ appellatinis Rex. Ut omnem dubitationem tollamus, Philipporum Macedoniæ Regum numismata proponimus



21.

Ca-

Caput imberbe eſt, ſi qværas cujus? reſpondent averſæ, Philippi: & ejus qvidem, qui equi pernicitate vicit, qvod in primo ſignatum eſt; Qvi Victorias Currules numiſmatibus impreſſit, qvod in ſecundo cernis: Imò etiam, ſi lauream capitis reſpicias, & ejus, qvi ſacrilegium ulturus milites Laureas ſumere juſſit. Omnia hæc de Philippo Alexandri M. Patre aſſerunt Authores. De laurea vide Juſtinum: De Eqvi pernicitate & Victoria curruli in olympicis Plutarchum, unde nec dubium eſt, qvin ejuſdem etiam effigies in adverſis exhibeatur. In ſequentium

22. 

adverſis caput jovis eſt. Inde etiam hactenus utrumque ejuſdem videretur, cùm jovem ut præcipuè coleret ab Oraculo monitum, ex eodem Plutarcho diſcamus. Sed artificium in poſteriore deficiens diverſitatem inducit, eaqve adhuc major elucet in adverſis,

cùm Eqves in priore numiſmate, qvod digno ejusdem Philippi ætate artificio elaboratum eſt, imberbis ſit, & lauri ramum præferat, procul dubio in memoriam ludorum Pythiorum, qvos ut Philippus cum Bœotiis ederet, in Amphictyonum Senatu decretum, apud Diodorum legimus: In poſteriore autem numiſmate *Prolixa barba* in Eqvite apparet, Imò & Chlamys, qvæ Regem deſignat, & cujatem? ſi non Regem Macedoniæ? cùm idem utriusq; numiſmatis pondus ſit? Imò inter Macedoniæ Reges non alium, qvàm Perſei Patrem, cùm nomen adſcriptum ſit, & barba etiam in Perſeo occurrens ætatis morem abundè demonſtret. Hæc ſi fidem faciant, apertum eſt, Perſei patrem in ſuperiore Gentis Marciæ numiſmate expreſſum nullo modo credi poſſe: Et cùm nec L. Marcius Eqves Romanus poſſit, uti ſupra vidimus, reliquum eſt, ut diſpiciamus, cui tandem tribui debeat?

Si Galeæ innexum *Diadema* agnoſcas, Regi alicui tribues: Et cui in Marciæ gentis numiſmate? Si non Anco, cui etiam effigiei lineamenta reſpondent? Confer ſequentem indubitatam ejus effigiem.

23. 

Confer Nummorum prototypa! deprehendes, ſi non eandem utrinqve maciem, eandem tamen naſi elevationem & lineamentorum ductum, qvæ duo per omnes ætatis gradus permanent,

cùm macies cum annis irrepat. Ita credibile fit, *Ancum Marcium Galeatum*, eam ætatem præferre, qvâ Latinos attrivit, Sabinos devicit, Vejentum Latrocinia coërcuit, Volſcos ad pœnitentiam adegit; *Diadematum* autem eam, qvâ Urbi coloniâ extendendæ, ponte jungendæ, muroque cingendæ, imò & ſacrificiis obeundis, qvod per lituum deſignatur, intentus erat: Unde & Floro *ædificator* audit, & Ovidio *ſacrificus*,

Marcia ſacrifico *deductum nomen ab* Anco.

Hæc ſi probè conſiderentur, non ex *Livio* tantùm diſces, ſed etiam ex nummis: *Medium in Anco ingenium fuiſſe, & NUMÆ & ROMULI memor*.

XI.

TARQVINIORUM EFFIGIES an in nummis occurrant?

FRuſtra videbor laborare de effigiebus Tarquiniorum, non tantùm, qvia hactenus in nummis non apparuerunt, qvæ enim à Puteano ſubſtituuntur, apertè non ſunt; Sed etiam, quia à primo ſtatim Libertatis exordio tantum fuit eorum odium, ut Romani ne nomen qvidem in urbe toleraverint. Hæc utut ſe habeant, duo tamen ne deſperemus, monere videntur. Primum eſt, qvòd apud *Plinium* l. 33. c. 1. legimus, non minus Tarqviniorum qvàm etiam aliorum Regum ſtatuas ſuâ adhûc ætate Romæ fuiſſe: Alterum, qvòd præter reliqvorum Regum capita, plura adhuc diademata in Numiſmatibus occurrant. Novi eqvidem qvædam Deorum eſſe, utpote Termini in Calpurnia, Plutonis

in Claudia, *Genii populi Romani* in Cornelia. Novi & alterum, quod in eadem Cornelia habetur, Boccho à me vindicari: Ita ut feré non ſuperſit, præter unicum in familia Lollia. At ego ut odio Romanorum concedam, neque hoc in cenſum vocabo; qvanqvam tertia æris magnitudo eo tempore id percuſſum arguere poſſit, qvô odium jam deferbuerat, Libertaſqve rurſus in ſervitutem, tam diu vitatam, ruebat. Ad ea numiſmata me confero quæ, *Varrone teſte*, à Servio Tullio primò conflata fuere. Græcum eorum artificium eſt, Græcum pondus. Duo ex his proponimus,



24.

In qvorum primo ſi Herculem, in Secundo Martem agnoſcas, non eqvidem refragabor; cùm & Herculi diadema interdum dari ſoleat, & Clava ſecundi commodè ad eundem referri poſſit.

Id

Id tamen mihi viciſſim largieris, pronius eſſe, ſub capite diademato Regem agnoſcere, & cujatem? ſi non Romanum in Romanorum numiſmate? Romani Reges ex nummis omnes noti ſunt exceptis Tarqviniis. Si his clava non obſtaret, forſitan ſpes eſſet, eos noſcendi.

Non obſtat, imo conjecturæ ſuffragatur. Corintho oriundum Tarquinium Priſcum conſtans Authorum aſſertum eſt; Atqvi Corinthios ab Hercule Genus duxiſſe, & ipſum idonio teſtimonio probari poteſt, cùm Aletem quintum ab Hercule Corinthum occupaſſe, imò & Herculis ſimulacrum Dædali opus ibidem ptopter theatrum fuiſſe conſtet. Poterit igitur clava hæc affičta eſſe, non tam ut Hercules, qvàm ut origo Tarquinii Priſci noſceretur, ab ea urbe oriundi, qvæ Herculem Progenitorem ſuum venerabatur: Forſan etiam, ut ſimul Romanorum favor conciliaretur habitu Dei, qvem inter Conditores & Romani numerabunt. Si conjecturam admittas, facilè caput diadematum utpote qvietum, & Genio Regis pacifici dignum Tarqvinio Priſco aſſignaveris, cùm Galeatum projecto mento arrogantiam Superbi magis præferât. Fateor minus in hoc, qvám in ſuperiore certitudinis eſſe, cùm diadema abſit, ſed ea ſunt faciei hujus lineamenta, qvæ non figmentum, qvalia Deorum ſunt, ſed Naturæ luxuriantis opificium præferre videantur: Unde dubium naſcitur, annon & hîc clava cum capite galeato jungi, & in originis demonſtrationem affičta credi debeat? Sub Galea ſané ritè intellexeris bellicos ſudores, qvibus Tyrannica Superbi indoles & externos domuit, & domeſticos oppreſſiſſet, niſi filiorum libido filum dominationis abrupiſſet.

Hæc ita ſpecioſè dici poſſunt; Sunt tamen, qvæ hactenus aſſerta ſubruunt, qvod eò facilius fieri poterit, qvò infirmiori funda-

damento innituntur. Primò, si Varroni fides, qvi tamen argenteum numisma omnium vetustissimum fecit, sub Tarqvinio Prisco argentum nondum signatum fuit; Sed hoc leve videtur, cùm Superbus utrumqve, & in patris & in sui memoriam, signasse poterit. Secundo, ætas Regum videtur obstare, qvæ in numismatibus ex genis succulentis satis virilis apparet, cùm ex Historia provectiores fuisse constet; Nisi Superbum florida adhuc ætate & se & Priscum adhuc florentem signasse contendas. Sed de, his suum cuiqve judicium sit! Apponenda duxi, non ut opinionem aliis obtruderem; Sed ut peritiores ad inqvirendas Tarqvinorum effigies excitarem.

XII.

CAPUT LIBERTATIS PILEATUM



25.

CN. Plancium, qvi denarium signavit, anno V. C. DCXCVI. P. Lentulo & Q. Metello Coss. Tribunum plebis, postea autem Macedoniæ Qvæstorem fuisse, tandem A. V C. DCIC. L. Domitio Ahenobarbo, Ap. Claudio Pulchro Coss. ædilitatem petiisse, Ursinus

ſinus obſervat, qvi & in numiſmate Ædilitatis ejus non nomen tantùm, ſed & monumentum agnoſcit, cùm, Cicerone authore, Ludorum ſolennium cura ad Ædiles ſpectaverit, in ludis autem etiam Venationes fuerint.

Hæc clara ſunt: Non æqvè de Capite Pileato. Urſinus de eo tacit. Tacent & Alii, qvoscunqve de nummis diſſerentes inſpexi. Ego Libertati id addico, idqve tam qvòd Pileus Libertatis ſymbolum ſit, qvàm ob muliebrem vultum, eosdemqve capillorum nexus, qvibus Libertas in numiſmatibus viſitur. Seqventia contemplare:

26. 

Sed ais, qvid Libertas ad Plancium? Dicam quod ſentio. Cùm Plancius ædilitatem petens à M. Juventio Lateranenſi de ambitu accuſatus, & à Cicerone eâ oratione, qvæ pro Cn. Plancio inſcribitur, defenſus legatur, ædilitatemqve, hoc nummo teſte, obtinuerit, nihil mirum videtur, Libertatis ſimulacro uſum, qvi Libertatis fructum ſenſit.

XIII.

Q. FABII MAXIMI

Prudens cunctatio.





27.





CUm omnes ferè Maximi, Q. prænomine usi sint, ad qvem pertineant hæc numismata, divinare non licere, Ursinus ait: posse tamen arbitratur referri ad Fabium Maximum, qvi anno VC.708. COS fuit cum C. Trebonio. Aversarum *Cornucopiæ fulmen & corona spicarum cum culmo* quò pertineant, nondum se assecutum ingenuè fatetur Ill. Patinus: Ut neqve, qvid sibi *Clio* velit, qvam adversus denarius cum *Cithara* ostendit.

Li-

Liceat in re obſcura divinationibus agere! Vaſtitatis ſimul & ubertatis, imò potius Pacis Belliqve notas hîc inter ſe conjunctas, ipſe Patinus agnoſcit. Fulmen belli ſymbolum eſt, Cornucopiæ ſi non Pacis, certé rerum in orbe Romano ubertatis & abundantiæ.

Notiſſima eſt Q. Fabii Maximi cunctatio. Notiſſimum eſt, eâ & Hannibalem fractum, & perditas Romanorum res reſtitutas olim fuiſſe. Hanc egregii Ducis laudem, qvin aliqvis ex Poſteritate adumbrare his in nummis voluerit, nullus dubito. Vel hoſtis eam laudavit, quidni & Citharà dignam judicarent Amici? Et quid ſi eodem ſchemate & Auguſto ſubpalpatus fuerit? quem & ipſum non minus ac Fabium Cunctatorem in Duce Bellico temeritatem legimus damnaſſe? Eodem ſanè ſtratagemate & Aqvillius uſus eſt, in dedicandâ reſtitutione Siciliæ.

Quicquid ſit, Fabio addicit inſcriptio, de cujus cunctatione & judicio de temeritate Magiſtri Eqvitum hæc ſuppeditat Livius: *Annibal*, inqvit, *quod tunc demum, edocti malis Romani parem ſibi ducem quæſiſſent, prudentiam quidem, non vim Dictatoris extemplò timuit, Conſtantiamque ejus haud dum expertus, agitare, ac tentare animum, movendo crebrò caſtra, populandoque in oculis ejus agros ſociorum, cœpit: Et modò citato agmine è conſpectu abibat, modò repente in aliquo flexu viæ, ſi excipere digreſſum in æquum poſſet, occultus ſubſiſtebat. Fabius per loca alta agmen ducebat, modico ab hoſte intervallo, ut neque omitteret eum, neque congrederetur. Caſtris, niſi quantum uſus neceſſariò cogeret, tenebatur miles. Pabulum & ligna nec pauci petebant, nec paſſim, Equitum leviſque armaturæ ſtatio compoſita, inſtructaque in ſubitos tumultus, & ſuo militi tuta omnia, & infeſta effuſis hoſtium populatoribus præbebat.*

 Ne-

Neque universo periculo summa rerum comittebatur: Et parva momenta levium certaminum ex tuto cœptorum, finitimo receptu, assuefaciebant territum pristinis cladibus militem, minus jam tandem aut virtutis aut fortunæ pœnitere suæ. Sed non Hannibalem magis infestum tam sanis consiliis habebat, quàm Magistrum Equitum, qvi nihil aliud, quàm quod non imperabat, moræ ad præcipitandam Rempublicam habebat, ferox rapidusque in Consiliis, ac lingvâ immodicus, primò inter paucos, deinde propalam in Vulgus pro cunctatore segnem, pro cauto timidum, affingens vicina Virtutibus vitia, compellabat.

En utriusqve genium! Sed qvô eventu? Magister Eqvitum, dum incautius in aciem progreditur, internecionis periculum adiit: Fabius laborantem videns: *Ita est* inqvit, *non celerius, quam timui, deprehendit fortuna temeritatem!* Inde in auxilium profectus extorsit & hosti Victoriam, & Collegæ erroris confessionem: imò & sibi simul æternam paravit bellicæ prudentiæ gloriam.

XIV.

P. SULPITIUS

Philippum & Macedones terrestri navaliqve robore pressit.

28. 

URsinus hoc numisma ad Trajectum Sulpicii Cos. restringit, de

de quo Livus L. 31. c. 14. Ego trajectum hunc non excludo, Numiſmatis autem radios latius extendo. Non trajectus tantùm eo videtur abumbrari, ſed omnis contra Philippum & Macedones expeditio, non navalis tantùm, ſed & terreſtris. Navalem ſub Nave, Acroſtirio, Temone & Anchora agnoſcimus; terreſtrem etiam ſub adſtantibus Captivis. P. Sulpicius ab initio ſtatim *Lævino Cos* ad claſſem miſſus eſt, indeque prorogato imperio Ætolos juvit, nobiliſſimumqve inter Sicyonem & Corinthios agrum vaſtavit, & ad Elim, Regem in Romanos incurrentem, lapſuqve ſaucium in fugam conjecit, tandemqve Oreum cepit, navibus ipſo, terrâ autem Attalo oppugnationem urgente.

Omnia hæc ante prædictum in Macedoniam trajectum. Pax intervenit; Sed eam Athenienſium preces dirimerunt, ipſo Sulpicio II. Cos. id eſt decem annis, poſtqvam Ætolorum in præſidium duxerat claſſem. Tunc, cùm ei mandata Macedonia eſſet, ſecundum vota in Capitolio nuncupata, paludatus cum Lictoribus profectus ab Urbe, Brunduſium venit, & Veteribus Voluntariis ex Africano exercitu in Legiones deſcriptis, navibusqve ex claſſe conſulis Cornelii lectis, altera die, quàm à Brunduſio ſolvit, in Macedoniam trajecit. Nec trajecit tantùm, imò etiam Philippum Terrâ perſecutus eſt ipſe, Mari perſeqvendum Claudio Centoni permiſſit.


Glorioſa utriusqve facinora latius videre eſt apud *Livium dicto libro*. *Florus* rem ſuccinctè, & qvamvis tecto Sulpitii nomine, appoſitis tamen ad propoſitum verbis: *Lævino* inqvit,

Cònſule Populus Romanus Jonium mare ingreſſus, tota Græciæ litora velut Triumphante claſſe *peragravit.*


XV.

C. ABURIUS

Auxiliorum, contra Perseum rogandorum,
gratiâ cum aliis
ad Massanissam & Carthaginenses,
Mercurii instar, quasi a Diis missus, Martium Gentis Robur
Africaniqve Herculis auxilium
Romanis conciliavit.



29.



C. Aburium, qui his in Numismatibus descriptus est, eum designari, qui *P. Licinio Crasso & Cassio Longino Coss.* Inter

ter alios ad Maſſaniſſam & Carthaginenſes legatus fuit, Urſini ſententia eſt. Verba Livii ex L. 42. c. 35. talia citantur: *In eam rem (ad Numidos Equites ſc. Elephantoſque contra Perſeum petendos) Legati ad Maſſaniſſam Carthaginenſesque miſſi L. Poſtumius Albinus, Q. Terentius Culleo*, C. Aburius.

Ex his Livii verbis Legationem C. Aburii diſcimus; Sed ex numiſmatibus diſcimus etiam Aburii mentem, quam Urſinus omiſit. Mercurium expreſſum cernimus, eumqve alatum cum caduceo. Mercurius Deorum Nuncius credebatur, alaſqve gerebat ob celeritatem, Caduceum autem, ob amicitiam inter eos, à qvibus & ad quos mittebatur, vel conciliandam vel conſervandam. Amicitiam inter Romanos & Carthaginenſes hoc tempore fuiſſe, ex Hiſtoria conſtat. Celeritatem Legatos ſpopondiſſe, veriſimile eſt. Sed C. hic Aburius ulterius tendit. Sub Mercurii ſimulacro non munus tantùm ſuum celebrare videdur, ſed & ſubpalpare Senatui. Non acqvieſcebat Cineæ ſententiâ, qvi à Pyrrho Epirotarum Rege de Romanis interrogatus, *Senatum conſeſſum Regum ſibi viſum edixit;* Sed ornatum habitumqve celebravit humano Auguſtiorem, Majeſtatemqve ſimillimam Diis, qvæ & atrocibus Gallorum animis venerationem expreſſerat. Ab his cùm miſſus eſſet, ſe Mercurium mentitus eſt, eodemqve Symbolo etiam Senatum Conſeſſum Deorum nuncupavit.

Ne tamen vel in omnibus Mercurio ſimilis crederetur, vel fauſtum Legationi deeſſet omen, navim in averſa addidit: Herculis imaginem in altero expreſſit: Expreſſit & in tertio Martem juxta tropæum rapidis inſiſtentem quadrigis.

Navim ad Maritimum Legatorum iter referimus; Neqve enim aëreas potuerunt findere plagas, qvod Mercurius ſolet; Sed navibus ire neceſſe habuerunt, cùm medium æquor Carthaginenſes

ſes à Romanis dividat. Omen ſub Hercule & Marte contemplamur. Hercules inter Deos Carthaginenſium Tutelares cenſetur, eorumque à Tyro originem oſtendit, Mars autem Bellorum arbiter credebatur. Utrumqve de Eqvitum Numidarum, Elephantorumqve & Herculeo robore, & Martio ardore & ſucceſſu interpretamur, quibus in futuro contra Perſeum & Macedones bello, Carthaginenſium effulſura fuerint auxilia.

XVI.

EFFIGIES BOCCHI,

30.



EFFigiem propoſitam *Urſinus* Fauſto tribuit Sullæ filio: *Segvinus*, & eum ſecuti *Ill. Patinus* & *Oiſelius* non Fauſti arbitrantur, ſed Jugurthæ, eâ potiſſimúm ratione ducti, qvòd barbarum qvid ſapiat hoc caput, & Diademate cinctum ſit, qvod nec Civi Romano conveniat, nec filio Sullæ, cùm in Patre, Romanorum ſui temporis potentisſimo, nihil tale occurrat. Rationes has ſatis ego graves arbitror, cur Sullæ filio abjudicetur hæc effigies; an autem ideò Jugurthæ tribui debeat, licebit bona celeberrimæ hujus Antiqvariorum trigæ cum venia paulò penitius inqvirere.

Oiſe-

Oiſelius nullum, ait, eſſe dubium, quin Regis Jugurthæ facies hic expreſſa ſit. Sed eſt, & ſanè non contemnendum. Qvis credat, Imperatorem Romanum ejus effigiem Regio in ornatu ſignaſſe, qvi qvoad imperitavit, magno Romani nominis cum dedecore imperitavit? qvi Victoris pedibus advolutus eſt? qvi opertus catenis Romam vidit, qvam olim venalem pronunciaverat? Qvi poſt victoris Triumphum carceri mancipatus, tandemqve cum filiis in eo necatus legitur? Quis credat, hunc Regio in ornatu vel ad tempus modicum, ne dicam ad æternitatem fuiſſe donatum? Ego ſanè, ut credam, adduci non poſſum. Sapiat barbaricum qvid hæc effigies; Barbarus fuit & Bocchus Jugurthæ gener Numidiæ Rex. Hic non eò tantùm Sullæ gratiam iniit, quòd Jugurtham Populi Romani hoſtem ejus manibus obtulit; Sed & eò, qvòd facinoris memoriam aureis in Capitolio ſtatuis dedicavit. Utroqve certè meritus videri poteſt, ut honos ei haberetur, non ad exiguum tempus, ſed æternitatis quoque, quam in averſa vides, deſtinatione. Factum id eſt, & confirmato Regiæ dignitatis ſolio, quod ex diademate agnoſcis, & dedicatâ ad poſteros ejus effigie, qvam in numiſmate hoc Sullæ filium expreſſiſſe, ex inſcriptione colligitur.

Huic noſtræ conjecturæ non allatæ tantùm famulantur rationes, ſed & ſeqvens numiſma

31. 

Tres in eo figuræ ſunt, & ſine dubio notæ: Sedens Sullam

 repræ-

repræſentat, Ramum porrigens Bocchum, vincta Jugurtham: Omnes exiguis qvidem lineamentorum ductibus, non tamen usque adeò obſcuris, ut non *Jugurtham longiſsimâ barbâ conſpicuum*, *Bocchum* autem, qualis etiam in ſuperiore effigie eſt, *imberbem* agnoſcere poſſimus, quæ uti hactenus obſervata non ſunt, ita conjecturam noſtram, qvâ propoſitam effigiem Jugurthæ Barbato abjudicamus, Boccho autem imberbi adſcribimus, egregiè firmare videntur.

XVII.

C. MALLEOLUS
Dolabellæ in Aſia Qvæſtor
rapinas ſuas
Specioſo Victoriarum & Parſimoniæ velo
texit.

32. 



AN hæc effigies Malleolli ſit, non ſatis diſcerno, qvamvis ei ut tribuatur, Malleus fortaſſis ſuadeat Galeæ impoſitus. Eo certè cognominis rationem indicari, nemo dubitare poteſt. Figura nuda ante tropæum vel thoraci, vel alii cuidam baſi, dextrum pedem

pedem imponens, ad Qvæstorium in Asia munus videtur respicere, qvod Malleolus sub Cn Dolabella gessit. A tergo navis prora est, ut navibus advectum, vel etiam navali potentiæ præfectum agnoscas. Ante pedes Tropæum cernitur, ut Victoriarum gratiâ se Galeatum, hastâqve armatum ostendat. An hæc de Malleolo? an de Dolabella? an de Gentilis cujusdam terrestri navalique Victoria, intelligi debeant? videbimus, cùm de expeditione in Asiam Ciceronis verba adscripserim, quæ & Ursinus dedit: *C. Malleolo*, inqvit l. 3. in verrem, *Qvæstore Cn. Dolabellæ occiso, Verres duas sibi hæreditates venisse arbitratus est, Unam Quæstoriæ procurationis, nam à Dolebella statim Proqvestore jussus est esse; Alteram tutelæ, nam cùm Pupilli Malleoli tutor esset, in bona ejus impetum fecit. Nam Malleolus in provincia sic copiosè profectus erat, ut Domi prorsus nihil relinqveret: Præterea pecunias occupârat apud Populos, & Syngraphas fecerat: Argenti optimi cœlati grande pondus secum tulerat (nam ille qvoqve sodalis istius erat, in hoc morbo & cupiditate) grande pondus argenti, familiam magnam, multos artifices, multos* formosos Homines reliqvit.

Formosos inqvit homines reliquit; Et in nummo galeata facies formosa est, an inde conjectura eam Malleolo addicat? Pupillum reliquit, quidni igitur virili adhuc ætatis flore decesserit? qvæ & ipsa in hoc numismate elucet. Sed qvid locusta navis proræ insidens? An quòd divitias suas parsimoniæ providentiæqve adscriberet? Locustas ejus virtutis symbolum esse, nemo nescit; & Verris similem Malleolum fuisse, imò in expeditionem providè sibi prospexisse, modò ex Cicerone audivimus. Nec obstat, quòd hâc ratione Vitia sua expresserit; cùm eum in finem id egisse credi debeat, ut sub virtutis velo ea commendaret; Sed obducat velum virtutis. Eloquentia Ciceronis, Vitia prodidit,

& malè parta malè dilabuntur. Sic Malleolus Gentes, Malleolum, si non vivum, post mortem tamen spoliavit Verres.

XVIII.
BACCHIUM JUDÆUM
Regem non fuisse.





33.





URsinus primum numisma de Rege Areta interpretatur, quem & inscriptio arguit. In secundo arbitratur Cn. Plautium, cum Ædilis Curulis esset, ad indicandos ludos in eo munere exhibitos, Camelum expressisse; Sed tamen subjungit: *Magis placere, si Camelus ad Arabiæ Regulum Bacchium Judæum referretur*

tur, qvem à Cn. Plautio Pompeji in Asia Pro Quæstore superatum fuisse credibile sit, eo bello, in quo Aretas quoque Rex ab Æmilio Scauro Pompeji Proquæstore victus est. Sic Ursinus eò, qvòd nihil de Bacchio Judæo apud Scriptores occurreret, dubitavit, an ludi ædilitii, an factum bellicum, postremo in nummo, expressum credi debeat? Sed dubitationem videntur tollere non tantùm adscripta Aretæ & Bacchii Judæi nomina, qvorum ille Rex vocatur, hic autem non; Sed etiam Corona Camelo Aretæ imposita, qvæ & ipsa in Bacchii Judæi Numismate omissa est.

Hæc differentia, licet ab Ursino observata non sit, in numismatibus tamen ad oculum patet, ostenditque, Bacchium Regulum non fuisse. Qvid igitur? Respondet inscriptio Judæum. Scilicet, cùm Aretas, eo tempore, qvo à Scauro victus est, Hierosolymam obsederit, eodemqve modo in numismate Bacchius se victum fateatur, qvo & Aretas, non dubitaverim asserere, Bacchium hunc origine Judæum, ex iis unum fuisse, qvorum vel in gratiam, vel persuasionibus Aretas Hierosolymam obsidione pressit. Scio eqvidem præcipuum, qvi ad id bellum Aretam adduxerit, apud Josephum nominari Antipatrum; sed cùm hic labentibus Aretæ rebus ad Pompejum transierit, & procul dubio non unus ejus rei suasor exstiterit, nihil video impedire, qvò minus, nummo docente, & Bacchium admittas, qvi à partibus Aretæ durasse, similemqve cum Rege fortunam expertus videatur.

XIX.

C. JULII CÆSARIS

Effigies juvenilis.



34.

EFfigiem Galeatam his in numiſmatibus præterit Urſinus, nec alibi recordor certi quid de ea legiſſe. Ego Julii Cæſaris arbitror, non tantùm eâ ratione ductus, qvòd Cæſaris nomen in eo legitur, & Venus bigâ Cupidinum vecta ad Cæſaris origines pertineat. Sed quòd in altero, etiam tyrocinium expreſſum videam, quo juvenis adhuc, Prætore Thermo, civicam meruit, cùm in expugnatione Mitylenarum, Civem ab hoſte defenderet.

Cre-

Q. Thermum M. F., qui numiſma per-
... rerum potiti, gratiam memoriâ paternæ
...aret, non factum tantùm expreſſiſſe, ſed
ipſam etiam juvenis effigiem. Idque eò magis videtur aſſerendum, quò planius ex numiſmate eſt, illud caput & Virile eſſe, & elevatum, quale & caput Cæſaris ſenile viſitur. Quid quod rem propius intuentibus, nec lineamentorum diverſitas major appareat, quàm quantam diuerſitas ætatis inducere potuit?

Si conjectura noſtra fidem inveniat, planum erit, qvâ ratione Suetonius Cæſarem *teretibus membris & ore paullò pleniore* fuiſſe ſcribat, cui aſſerto cùm effigies ſenilis in nummis unanimi quaſi conſenſu conſpirantibus, hactenus contradicere viſa fuerit, varia Authoris correctio dicam, an detorſio? ſurrepſit. Fruſtra! Ore pleniore fuiſſe Cæſarem, cùm ætatis adhuc robore vigeret, colligitur & ex his numiſmatibus & ex ipſa ſenili effigie, quæ in tantas, quibus obſita eſt, rugas concidere non potuiſſet, niſi luculentior ſuccus vegetam ætatem antea inflaſſet.

XX.
INDUTIOMARUS
Trevir.

35. 

TRiſtanus in adverſa hujus nummi Venerem Victricem agnoſ-

agnoſcit: Averſam, conjicit, ad Germa... re, aitqve, Plinium eam coloniam Induſtri... inde ex hoc nummo fortaſſe corrigendum eſſe... vere & Bos cornupeta Coloniæ Symbolum, & Fluvii in alio numiſmate ad montem ſimulacrum, quòd eo modo urbis ad Padum ſitus commodè expreſſus eſſet, Videbatur ſuffragari & Venus Victrix, Cæſaris gloria, quæ cauſa fuit, ut non Triſtanus tantùm, ſed etiam Mediobarbus Biragus ſub Cæſare nummum exponerent.

Ergo licet hæc ſatis ſpecioſè dicta fatear, tamen ut vel ad Coloniam Cæſaris hæc numiſmata reſtringam, vel Germanam Indutiam eam appellatam credam, adduci non poſſum, cùm in numiſmate propoſito non Germana, ſed Germanus apertè legatur. Imò nec Venerem in adverſa agnoſco, ſed caput virile diadematum. Ut ita indubium videatur, Regulum quendam eo exhiberi, nomenqve ejus in averſa expreſſum eſſe, proindeque ſub bove cornupeta felicem in hoſtes expeditionem, ſub fluvio locum prælii deſignari.

Hæc utut aſſerenda videantur, obſcurum tamen adhuc eſt, quis ille Rex? Ego INDUTIOMARUM in medium adduco, cujus apud Cæſarem mentio, quique in Treviris cum Cingetorige de principatu contendens, cùm primò Cæſari ſe oppoſuiſſet, deinde factum excuſans, ſe ei tradidit: poſtea à Cæſare, Cingetorigi faventiore irritatus, denuò defecit & à Labieno occiſus eſt.

Opponi quidem poteſt, primò Indutiomarum hunc non Germanum fuiſſe, cùm Treviri Galliæ Belgicæ partem incoluerint; Sed Germanorum partibus eum acceſſiſſe, vel inde credibile fit, quòd jam ante etiam fama tulerit, *à Treviris Germanos*

ſolli-

sollicitari, qvæ fama & Cæsarem permovit, ut dilatâ expeditione Britannicâ contra Indutiomarum progrederetur. Secundò opponi poteſt, apud Cæsarem, non Indutiomarum per T. ſed INduciomarum per C. legi, & ita etiam Græcè ΙΝΔΟΥΚΙΟΜΑΡΟΝ Vocari. Sed hoc levius arbitror, cum facilè apud imperatorem Romanum Unius literæ mutatio potuerit irrepere.

Tertiâ inſtantia eſſe poſſunt adjecti numeri & bos cornupeta, qui potius ad coloniam aliqvam ſpectare videbuntur. Sit ita, quid hoc obſtabit? Annon & Indutiomarus coloniam aliqvam potuit emittere? quem legimus Equitatum & peditatum contra Cæſarem cöegiſſe? eosque, qui per ætatem in armis eſſe non poterant, in ſylva Arduenna abdidiſſe? poſtea Ambiorigem & Cativulcum, ad oppugnanda Romanorum caſtra, concitaſſe? Quanquam, ut diximus, neceſſe non ſit, ut coloniam ſtatuamus, cùm Bos cornupeta commodè etiam ad incurſiones, ab Induciomaro in Romanos factas, referri poſſit.

Opinioni non obſtat Fluvius, qui in numiſmate Triſtani, loco Tauri, conſpicitur, cúm eum commodè Rhenum interpretemur, medium inter Treviros & Germanos TransRhenanos. Appoſitè ſuccurrit Auſonius:

Armipotens dudum celebrari Gallia geſtit
Trevericæque Urbis ſolium, quæ proxima Rheno.

XXI.
CASTOR & POLLUX,
in Gente Servilia.

36. 


DUos Equites hoc in nummo, non minus ac eos, qui in Secundo & quarto Serviliorum numiſmatibus exhibentur, ad C. Servilium Ahalam Magiſtrum Eqvitum & Spurium Melium Equeſtris dignitatis virum refert Urſinus. Sed Numiſmata, quæcumque equidem viderim, Equites propoſitos ſtellis inſignitos exhibent, ex quibus patet, non Ahalam & Melium, ſed Dioſcuros eſſe, qui hactenus ſub familia Serviliorum incogniti fuere.

Si rationem Dioſcurorum quæras, in C. & P. Serviliis eam invenies. Cùm enim Dioſcuri ſalutaria Reipublicæ Romanæ ſidera non ſemel affulſerint, credibile eſt, C. & P. Servilios, qui cum aliis Cæſarem interfecere, ſub hoc Dioſcurorum biga latere, & proinde C. Servilium M. F. indigitare voluiſſe, facinus id Romanis non minus utile eſſe, quàm fuit auxilium Dioſcurorum in pugna Regillenſi, quo ultimùm pro Libertate cum Tarquiniis pugnavére Romani.

XXII.

C. JULII CÆSARIS & CÆSARIS DIVI.F.

Victoriæ navales
contra
Sextum Pompejum.

37. 

NUmiſma hoc Vaillantius Bellovacenſis, celeberrimum noſtra ætate nobilioris Antiquitatis lumen, vel ad *Valentiam* referendum, vel inter incerta numiſmata cenſet ablegandum, contra Triſtanum, qui ad *Thurium* id retulit, & Harduinum, qui ad *Lugdunum Galliæ.* Triſtano calculum negat, quòd nulla Copiæ apud Geographos mentio exſtet: Cur Harduino, tacet, ſubſtitutâ duplici conjecturâ, quarum altera integrâ literarum ſerie Valentiæ cognomen, altera diſtinctis literis Coloniam Octavianorum Pacenſem Juliam Auguſtam exprimat, qvaliter Plinio teſte, Forum Julii cognominatum ſit. Utramqve conjecturam argumentis firmat: De Colonia Julia Valentia, qvòd cum numiſmate ejus coloniæ, eadem propoſiti ſit & forma & magni-

magnitudo, cognomenqve potuerit mutuari ex eo, qvòd à Julio deducta, ab Augusto autem pro horreo & Apotheca, in quâ militaris Annona conderetur, electa fuerit. De Octavianorum Pacensi, qvòd præter Plinii testimonium, etiam nomen Forum Julii suffragetur, Augustusqve coloniam Legionis octavæ Augustæ in eam deduxerit, & Tacito teste, præsidium navium Actiacâ Victoriâ captarum ibi locaverit.

Hæc Vallantii sunt argumenta, cujus cum veniâ, qvæ in contrarium habeo, qvin proferre mihi liceat, notissima Viri æqvitas neminem dubitare sinit.

Qvod secundam opinionem attinet, suffragarer Viro Doctissimo, si literas punctis distinctas deprehenderem, id quod consuetum Cæsaris ævo fuisse, vel numisma Col. Jul. Valentiæ innuit, ut alia taceam; At nullum omninò punctum, & ne puncti qvidem vestigium in proposito apparet. Diligenter id inspexi, sed hac in parte frustra: Unde nec à me impetrare possum, ut separem, quæ Antiquitas conjunxit.

Quod coloniam Juliam Valentiam attinet, nec huic accedere possum; Licet enim nummi hujus magnitudo eadem sit, eadem tamen non est vel Navium figura vel Capitum habitus, ut taceam absentiam inscriptionis, & meram in appellatione Copiæ conjecturam, quæ nec ipsa vel minimo Copiæ vel annonæ indicio fulcitur.

Hæ sunt rationes, cur Vaillantio subscribere non possim. Si meam sententiam exqviras, Tristano calculum adjicio, qvi ad Thurium retulit, urbem in sinu Tarentino Maritimam. Licet enim hujus nomen, numero singulari COPIA, apud Geographos non legatur, legitur tamen COPIÆ, numero plurali, qvæ differentia tanta non est, ut non una eademqve credi possit. Audiamus Stra-

Strabonem lib. 17. Θούριοι εὐτυχήσαντες πολὺν χρόνον ὑπὸ Λευκανῶν ἠνδραποδίσθησαν. Ταραντίνων δ' ἀφελομένων ἐκείνους, ἐπὶ Ῥωμαίους κατέφυγον. Οἱ δὲ πέμψαντες συνοίκους ὀλιγανδροῦσι μετωνόμασαν ΚΟΠΙΑΣ τὴν πόλιν.

Thurii inquit *longo tempore fortunâ usi secundâ, tandem à Lucanis in servitutem subacti sunt, Tarentinisque eos opprimentibus ad Romanos confugerant. Hi Thuriis jam attritis Colonos miserunt, COPIASQVE Urbem nuncuparunt.*

Sic de vocabulo Copia Thurium designante dubium non est. Videamus an res in numismate expressæ permittant, ut à Thurinis percussum credamus? Effigies Divi Julii, cum effigie Cæsaris Divi F. conjuncta, facilè mihi persuadet, negotium hîc proponi Utriqve commune. Palma intermedia videtur indicacare, qvale illud negotium sit? Bellicum scilicet, & ob enatam ex bellis Victoriam, gloriosum; Neque enim ad Ægyptum palmam hanc restringere necesse est, cùm universale Victoriarum Symbolum Natura arguat. Navis aversæ rem ad victoriam maritimam deducit. Si maritimas Cæsaris Octaviani Victorias consideres, nullam invenies arctius cum Victoriis Divi Julii connexam, qvàm eam, quam contra Sextum Pompejum obtinuit, unde nec dubium esse potest, qvin tota illius belli fortuna hoc nummo præfigurata credi debeat. Qvod Cæsar contra Pompejum Patrem, imò & contra filios, & nominatim Sextum intendit, id Cæsar Divi F. ad exitum perduxit, ut ita non mirum sit, quòd unum utriusqve negotium unâ palmâ præfiguratum videamus.

Sed aliis adhuc opinionem nostram firmamus argumentis. Navium Vastitas in censum venit. Ea qvalis in Numismate radiat, talis contra Sextum Pompejum Cæsari Divi Filio fuit. Audiamus Dionem lib. 48. αἱ νῆες ἀντίπρωροι τεταγμέναι, οὐδεμίαν οἱ ἀσφαλῆ ἐμβολὴν ποιήσασθαι ἐπέτρεπον, ἀλλ' οἷα καὶ ΠΑΧΥΤΕΡΑΙ, καὶ ΥΨΗΛΟΤΕΡΑΙ οὖσαι, πλεῖον τοὺς πλησιάσαντας ἔβλαπτον, καὶ οἱ ὁπλῖται ἐς χεῖρας σφίσιν ἰόντες, πολὺ κρείττους ἐγίγνοντο.

 Na-

Naves [Cæſaris] *PRORIS VERSUS HOSTEM DIRECTIS, non concedebant, utis tutò ictum iis inferre poſſet; Sed qvum & CRASSIORES ET CELSIORES* eſſent, *majus damnum accedenti hoſtili navi inferebant. Ad hæc milites cum hoſte manus conſerentes longè ſuperiores fiebant.* Et iterum de eodem claſſem per Agrippam reparante: pr. lib. 49. Μέγιςον δὲ τῷ, τε ΥΨΕΙ ΤΩΝ ΣΚΑΦΩΝ καὶ τῇ ΠΑΧΥΤΗΤΙ τῶν ΞΥΛΩΝ ἐθάῤῥει. ὑπερπάχη γὰρ καὶ ὑπερμεγέθη κατεσκευάσθη, ὥς τε ἐπιβάτας τε πλείςους ὅσους ἄγειν, καὶ γαρ ΠΥΡΓΟΥΣ ἔφερον, ὅπως ὥσπερ ἀπὸ τείχους ἐξ ὑπερδεξίων ἀγωνίζωνται. *Fidebat plurimum ALTITUDINI NAVIUM lignorumq; ex qvibus eæ compactæ erant, craßitiei, qvæ modum utraq; excedebant, efficiebantq; ut maximus Claßicorũ Militũ numerus recipi poſſet, erantq; eæ naves TURRITÆ, ut ex editiore hi loco, tanqvam de muro pugnarent.* Et tandem paulò poſt: Ἦσαν οἱ μὲν τῷ πλήθει τῶν νεῶν, οἱ δὲ ταῖς ἐμπειρίαις τῶν ναυτικῶν προφέροντες. Καὶ τοῖς μὲν τὸ, τε ΥΨΟΣ ΤΩΝ ΣΚΑΦΩΝ, καὶ τὸ ΠΑΧΟΣ ΤΩΝ ΕΠΩΤΙΔΩΝ, οἵ τε ΠΥΡΓΟΙ συνήροντο. *Erant Multitudine navium alteri, alteri peritia rei nauticæ ſuperiores. Atqve alteris NAVIUM ALTIDUTO CRASSITIESQVE EPOTIDUM TURRESQVE proderant.* En altitudinem navium, & proras in Hoſtem directas! En Turres navibus impoſitas! qvæ omnia in numiſmate viſuntur.

Sed alia adhuc ſunt ad rem facientia: Nomen COPIA, & Piſcis navi affictus. Copiæ nomen Thurii diximus eſſe. Thurinos bello Siculo à Sexto Pompejo abſeſſos, fugatoqve eo, ab Agrippa liberatos, obſervat Goltzius. Sic & cauſa fuit, cur hoc numiſma ſignarent Thurini. Victoriæ ſcilicet, ſibi qvoqve ſalutaris, monumentum dedére. Et iterum. Thuriis Nomen Copiæ Romani impoſuere, uti ſupra ex Strabone audivimus; Inde nec mirum, qvòd omiſſo vetere nomine, Romanum expreſſerint, in nummo, Principis Romani Gloriæ dicato.

Piſcis navi affictus in noſtro numiſmate ad oculum patet. Apud

Apud Goltzium ejus loco Equum, apud Vaillantium nescio qvid ornamenti cernimus. An diversa ea hâc in parte â nostro sint dicere non possum. Nostro lucem affundimus, Historiæ, ex hactenus allatis in nummo expressæ, convenientissimam. Dio Cassius docet, Cæsari Divi F. cùm à Sexto, clade ad Mylas saucio, fugatus, exercitum destituisset, piscem suâ sponte ex mari exilientem, ad pedes ejus se projecisse, imperiumqve maris ei portendisse, verba hæc sunt: οὔκουν οὐδ' ἠδυνήθη πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ τοὺς ὄντας ἐν Σικελίᾳ διαφυγεῖν, ἀλλ' ἀγαπητῶς ἐς τὴν ἤπειρον ἀπεσώθη. Καὶ αὐτὸς ἐν ἀσφαλεῖ ἦν. Ὁρῶν δὲ τὸ στράτευμα ἐν τῇ νήσῳ ἀπειλημμένον, δεινῶς ἤχθετο. Καὶ οὐ πρότερον ἀνεθάρσησε πρὶν ΙΧΘΥΝ τινὰ ἐκ τῆς θαλάσσης αὐτόματον ἀναθορόντα πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ προσπεσεῖν. Ἐκ γὰρ τούτου πιστεύσας τοῖς μάντεσιν εἰποῦσιν οἱ ὅτι δουλώσεται αὐτὴν ἀνερρώσθη; Καὶ ὁ μὲν τὸν Ἀγρίππαν σπουδῇ πρὸς τὴν ἐπικουρίαν αὐτῶν μετεπέμπετο: *Ad suos, qui in Sicilia erant, perfugere (Cæsar) non potuit. Sed evasisse in continentem optimè contentus fuit. Ibi quantumvis in tuto erat, tamen exercitum in insula destitutum ægrè ferebat, neqve prius animum recepit, qvàm PISCIS qvidam sponte sua ex mari prosiliens, ad pedes ejus se projecit. Id qvum Aruspices imperium ipsi Maris portendere dicerent, confirmato animo Agrippam ad opem eis ferendam vocavit.*

Hoc imperii Augurium qvidni in Pisce numismatis nostri agnoscas? Nihil obstare video. Omnia potius amico nexu conspirant, monentqve, non nomen tantùm, sed etiam Historiæ series, & insecutæ Potentiæ omen, numisma hoc ad bellum Siculum pertinere, & Thurii, qvæ urbs & Copia dicta fuit, esse percussum.

XXIII.

XXIII.

AUGUSTUS

Virtutis & Honoris feſtum tranſtulit, ſubjectoqve Romæ Terrarum orbe, Italiæ felicitatem ſtabilivit.

38. 

HOnoris & Virtutis capita hoc in numiſmate expreſſerunt *Kalenus* & *Cordus*, an qvod horum Deorum ædes Cordus perfecerit? An qvod Kaleni ejus fuerit procuratio? Alterum opinatur Urſinus, alterum docet ex Vitruvio: *C. Mutius* inqvit allegatus author, *magnâ ſcientiâ confiſus*, *ædes* Honoris & Virtutis *Mucianæ cellæ*, *columnarumque* & *Epiſtiliorum*, *ſymmetrias legitimis artis inſtitutis perfecit*. *Cum autem*, addit Urſinus, *Cordi cognomine aliqui ex Mucia gente uſi ſint*, *fieri poteſt*, *ut qvæ à Vitruvio de* C. Mutio *ſcripta ſunt*, *ea ad Cordum hunc*, *qvi in denario notatus eſt*, *aliqvo modo pertineant*.

Sit

Sit ita! An autem numiſmati ſatisfactum? minimè verò! Marcellum poſt devictas Syracuſas Ædes Honoris & Virtutis conſecraturum, à Pontificibus impeditum ſcribit Valerius Maximus. Marcellus A. VC. DXLI. Syracuſas occupavit. Inde conſtat, circa id tempus jam exſtructas fuiſſe illas ædes, & proinde, cum terrarum orbe tunc temporis nondum potiretur Roma, non poſſe tunc Numiſma ſignatum eſſe, in qvo Roma Orbem terrarum pedibus ſuis jam ſubjectum calcat.

Illud non inficiabor, Cordum hunc in numiſmate expreſſum, ex Mutii illius, à Vitruvio nominati, poſteris fuiſſe, & hoc monumento Gentilis ſui gloriam renovare voluiſſe. Non tamen hoc tantùm. Auguſto Eum hoc Schemate ſimul adulatum, ex ipſo numiſmate colligo. Roma Orbem pedibus premit: Id devictum Orbem Terrarum denotat, qvalis ſub Auguſto fuit. Caduceus Italiæ appoſitus eſt, qvod Italiæ pacem ſignificat, qvalem orbe poſt civilia bella ſubacto, Auguſtus ſtabilivit. Italia Cornucopiæ præfert, Romæqve qvaſi gratias agit, qvòd ex pace, rerum ſibi abundantia excreviſſet. Gratias agit Romæ terrarum Dominæ, an Auguſto Romæ terrarumqve Domino? Utrum ſtatuas, non errabis, Roma ſub Auguſto terrarum orbem ſubegit: Roma ſub Auguſto Italiæ pacem & felicitatem ſtabilivit, qvidni Auguſti Virtuti & Honori aſſurgat Romæ Civis, celebretqve & Romæ potentiam & pacificam Italiæ ubertatem? Non defuit occaſio. Dio teſtis eſt: *Auguſtum Feſtum Virtutis & Honoris trantuliſſe*, idqve C. Furnio & Silano Coſſ. Iter. & in eam diem, qua Dionis etiam ætate agebatur. Verba hæc ſunt: Τὴν τε τῆς Τιμῆς καὶ τῆς Αρετῆς πανήγυριν ές τὰς νῦν ἡμέρας μετέστησε.

Hoc meritum mihi videntur reſpicere Kalenus & Cordus, qvanqvam non excluſerim meritum Cordi ejus, qvi ædes Hono-

ri & Virtuti exstruxit, cùm præter solitum non fuerit, Familiarum decora Gloriæ Principis apponere.

XXIV.

JANUM.

In nummo Getæ

ad imperii cum fratre communionem pertinere.

39.



JAnum hoc in numismate, cùm Thesaurum ex Thesauro Palatino Selectum ederem, Occonem secutus, ad divisum cum Caracalla imperium retuli.

ILLUSTRIS CUPERUS, Magnum hoc sæculo & Civilis Prudentiæ, & Nobilioris Literaturæ Nomen, non assentitur asserto: Idqve ideò, qvòd nec fasces nec Janus ipse opinionem admittere videantur, utpote qvum Janum Ausonius hoc decoraverit tetrasticho.

Hic Jano mensis sacer est. En aspice, ut aris
Thura micent, sumant ut pia Thura Lares.
Annorum sæcliqve caput, natalis honorum,
Purpureos fastis qvi numerat Proceres.

Hu-

Hujus tetraſtichi vigore ILL. Cuperus nummum hunc percuſſum eſſe exiſtimat, cùm ſecundum Conſulatum Geta iniret, Idqve etiam ſecum exiſtimaſſe, ait, eos, qvi explicandis his Ænigmatibus Æternâ cum laude incumbunt. Nota eſt Æqvitas Viri, nota modeſtia, eruendæqve Veritatis ingenua Cupido; Unde nec dubito, qvin ſolitam ſcribentibus Libertatem libenti animo & mihi conceſſurus ſit. Authoritas AUSONII rem conficere non videtur, In ipſo enim nummo invictum contra initum Secundum Conſulatum radiat Argumentum. Percuſſus creditur Nummus, cùm Conſulatum II. Geta iniret; Atqvi non Cos. II. tantùm in nummo habetur, ſed etiam TR.P.III. qvam tertio demum poſt initium ſecundum Conſulatum anno geſſit. Cùm Conſulatum ſecundum iniret, Tribuniciam poteſtatem nondum habuit, ſed durante eo Magiſtratu eam demùm à Patre accepit; Proinde, cùm non nulla, non prima, ſed Tertia Tribunica poteſtas in nummo habeatur, planum eſt Chronologicam rationem in hoc nummo aſſertum de initio Conſulatu excludere.

Argumentum, qvod à faſcibus deſumitur, nihilo firmius eſt. Licet enim & ſculptor meus tunc faſces expreſſerit, penitius tamen inſpicienti pateſcit, faſces non eſſe, ſed aliqvid aliud, trifido fulmini in ſuperiore parte ſimile: An clavis ſit, ad deſcriptionem Ovidii,

Ille tenens baculum dextra, clavemqve Siniſtra.

Ulteriori diſqviſitioni reſervo. Nihil ad propoſitum facit. Ex ſola Jani effigie conjecturam eruo, non qvidem illam, qvam de diviſione imperii fovebam; Sed aliam, qvâ ſub Jano & imperii communionem deprehendo adumbratam, & Imperatorum concordiam mihi perſvadeo votam: Non tamen eâ ratione, qvòd Janus faciendis fœderibus præfuerit, dupliciqve fronte effictus ſit,

qvaſi ad imaginem duorum Populorum, cùm Romulus & Tatius in fœdera coirent, uti Med. Biragus arbitratur. Sed qvòd priſcis temporibus Janus, qvi apud Aborigines imperium obtinuit, Saturnumqve in regni ſocietatem aſſumſit, ob concordiam imperii cum collega, à Poſteritate duplici facie effictus ſit: Rei fidem ut faciamus, antiqviſſimum ſubjicimus ex ære gravi pondus, an numiſma?

40. 

In hoc non Janus tantùm, ſed etiam Navis exſtat. Si navis deeſſet, forſitan ad fœdus Romuli & Tatii reſpici poſſet; Cùm adeſt, aliud erit dicendum. Adventum Saturni ſub navi latere Romano calamo docemur:


Cauſſa ratis ſupereſt: Thuſcum rate venit in amnem
Ante pererrato Falcifer orbe Deus,

inqvit ipſe Janus apud Ovidium, qvi licet aliam bifrontis imaginis cauſam attulerit, cauſam navis tamen negare non potuit.

Navi advenit Saturnus: Nec advenit tantùm, imò & in Regni ſocietatem à Jano admiſſus eſt, & pacificè cum eo imperitavit.

Sic

Sic Rex, qvi antea uniformis erat, tunc qvasi biformis factus est, eodem modo, qvo in communione & concordia Maritali Conjuges, qvos & ipsos hoc in numismate

41. 

biformi capite expressère Tenedii. Scio alias vulgò dari Jani bifrontis rationes: Qvidam ad Chaos respiciunt, Qvidam ad officium Janitoris, Alii ad Noachum, Alii ad Populum ab agresti vita ad cultiorem institutum; Sed nulla harum rationum tanti est, ut mereatur præferri nostræ, qvæ & historiæ innititur, indubio Antiqvitatis monumento fultæ, & convenientissima est, etiam ad Numisma Getæ, Romanum imperium cum fratre administrantis, cùm non tantúm eo schemate imperii communio adumbretur, sed etiam dissidentibus concordia & voveatur & simul commendetur.





Præstanti ingenio & eruditione Viro
L. BEGERO,
S. D. E. Spanhemius.

OBservationes tuas, qvibus nummos quosdam antiquos expendis ac illustras, lubens perlegi. Quid enim mihi jucundius, quam subinde animum priscæ ejusmodi elegantiæ intuitu & tractatione oblectare? Juvit etiam agnoscere, facem illa tua opella prælatam obscuris aliquot aut male hactenus explanatis id genus κειμηλίοις. *Unde singularem tuam in iis versandis trutinandisque* εὐστοχίαν *ac peritiam, Thesauro tuo Palatino abunde jam harum lautitiarum cupidis ac peritis probatam, ulterius is adsertum. Meum alioquin de singulis judicium interponere nec vacat, nec necesse arbitror. Ad duos illos, quod adtinet Ætolorum nummos, quos protulit olim Goltzius, &* Obs. p. 1 & 2.

in

in limine tangis, in quibus hinc caput imberbe petaso tectum, illinc vir imberbis stans cum hasta & petaso in tergo appenso, Venatoris proinde habitu, in horum autem altero Aper cum venabulo signatur, videre utrumque adhuc licet in Cimeliarchio Mediceo, ac postremum insuper in Gaza Gallorum Regia. Quod autem non Mercurium, juxta Nonnium, sed Apollinem in iisdem signari existimas, firmare equidem posset, quod non Ἀγροτέρα

(a) Electr. v. 166. solum passim, vel à Sophocle (a.) Κυνηγὸς dicta fuerit olim Diana, sed Ἀγρεύτης etiam seu Venator Apollo, ab eodem Tra-

Oedip. in Colon. v. 1150. gico alicubi nuncupetur; & Feras ac Venationem, Apollinis juxta & Dianæ lusum, vocet Aristides, Hymno

Tom. I. p. 25. in Minervam. Sicuti autem Agricolarum, aut opus

(a) Idyll. κα v. 13. ruri facientium, ac Piscatorum juxta (a.) Theocritum, sic Venatorum quoque gestamen olim apud Græcos, id-

(b) Theogon. v. 118. que contra pluviam, teste (b.) Hesiodo, aut Solis ardores

(c) Oedip. Colon. v. 318. pileus vel petasus, unde ἡλιοστερὴς à Sophocle dicitur in adducto modo (c.) dramate, ab aliis σκιάδειον, qua de re præ-

(d) Avib. p. 610 611. & Schol. Concion. pag. 625. ter Aristophanem (d.) haud uno loco, videri possunt Græci ad Theocritum Critici, (e.) θολίαν, ἤγουν τὸ σκιάδιον, τὸν πέτασον.

(e) Ad Idyll. ιε. v. 39. Hinc etiam Petasum humero appensum, non Ἀγρεύτης solum, seu Venator, sed Citharœdus etiam Apollo præfert

Obs. p. 2. in nummo Augusti à te post Nonnium prolato; sicuti insuper figura illa Equestris in aureo Cyrenæorum nummo, jam ante inter nummos Palatinos nunc Branden-

Obs. p. 3. burgicos, atque hic iterum à te vulgato. Iter enim facientium idem vulgo gestamen, ac inde cum petasatus in monumentis antiquis Ἐνόδιος nempe, seu viæ dux, Mercurius; tum pileatus, quod jam alii monuerunt, Ulysses. Quin idem etiam Aurigarum olim habitus, quod postre-

mum

mum arguit pompa apud Athenæum Dionyſiaca, ubi inter alia viſi pueri aurigæ, ſeu παιδάρια χιτῶνας ἔχοντα ἡνιοχικοὺς lib. V. p. 200.
καὶ πετάσους pueri tunicas geſtantes aurigarum & petaſos. *Neque tamen adeo Equeſtri illa figura, cum petaſo à tergo appenſo, & Solis ſidere ſignato in hoc Cyrenæorum nummo, Apollinem, ut Solis, quod ibi memoras, Aurigam, quam Battum, primum, duce Apolline, Cyrenæorum Conditorem ac Regem, depingi exiſtimem, aut ſi malis, vnum e Battiadis ejus poſteris, peregre & ad Agones forte Equeſtres, quorum peritia inſignes olim Battiadæ, & decantatus à Pindaro haud uno* ἐπινικίῳ Pyth. Od. IV. & V.
poſtremus ex eorum genere Arceſilaus, abunde arguit. Sacræ enim Apollini, tanquam urbis illius non Ἀρχηγέτῃ *ſolum, uti ab eodem Pindaro vocatur, ſed* Pyth. Od. V.
Εὐεργέτῃ *perpetuo Cyrenæ; neque etiam ullum aliud numen, Apolline religioſius à Battiadis cultum; ſicuti utrumque abunde docet optimus rei illius ac moris index & conſcius Cyrenæus vates,*

Οὐδὲ πόλει τόσ' ἔνειμεν ὀφέλσιμα τόσσα Κυρήνῃ, Callimach. Hymn. in Apoll. v. 94.
Μνωόμενος προτέρης ἁρπακτύος· οὐδὲ μὲν αὐτοὶ
Βαττιάδαι Φοίβοιο πλέον θεὸν ἄλλον ἔτισαν;

Nec civitati ulli largitus eſt tot commoda, quot Cyrenis
Recordatus priſtini Cyrenæ raptus, neqve ſane ipſi
Battiadæ plus Phœbo Deum ullum coluerunt.

Mitto, quod Apollini, maxime Didymæo, invi- Hypoth. l. III. p. 156.
ſum Equum, apud Sextum Empiricum obſervaſſe quondam memini; nec Ἵππιος *etiam ſeu* Equeſtris, *inſtar Neptuni aut Minervæ, vel Dianæ etiam* ἱππικῆς, *juxta* Schol. Nem. Od. I. p. 332.
Græcos ad Pindarum Criticos nuncupatæ, dictus aut

):( ):(*cul-*

cultus legatur apud veteres hic Deus. Quod vero non petasatus solum à tergo, uti equidem, existimas, Apollo

Obs. p. 1. *depingitur in aversa primi Ætolorum à te post Goltzium producti nummi area, sed idem* λογχοφόρος *seu hasta armatus, ac pede sinistro tumulo cuidam ut videtur, innixus, illustrare quodammodo posset Amyclæi, cujus Pausani-*

lib. III. p. 198. *as meminit, Apollinis signum, non petaso quidem, sed galeâ tecti, ejusdemque* λόγχῃ *seu hasta armati. Ut mittam quod à Plutarcho alicubi traditur, solos*

De Pythiæ Oracul. *fere Megarenses, ejectis ab vrbe Athieniensibus,* λόγχην ἔχοντα *Apollinem Delphis statuisse. Adde Apollinis apud Patrenses simulacrum, cujus alibi meminit Pau-*

lib. VII. p. 436. *sanias, uno pede, non tumulo equidem, sed bovis cranio superimpositi, quod nempe bobus* Apollo *delectetur. Quamquam, ut verum fatear, ne Apollini continuo figuram illam stantem, cum appenso â tergo petaso in primo Ætolorum â te vulgato nummo tribuam, obstat, quod non hasta solum, seu* λόγχῃ *armatus occurrat, quod infrequens alias hujus Dei, ut ex adlato modo Plutarchi testimonio liquet, symbolum, sed præterea brevi gladio seu pugione cinctus ibidem obverssetur. Hastatos vero passim Gentilium Deos, aut Clypeatos nonnunquam & Galeatos, sicuti vulgo Martem, Palladem, ac nonnunquam Venerem; aut vero Arcu & Pharetra, Apollinem puta ac Dianam, insignes, in antiquis id genus monumentis, arbitrari, quod vulgo tyronibus notum, licet; at non* Μαχαιροφόρους *vel* Ensigeros. *In tanta certe ac immensa, quæ vel coram toties lustrare mihi licuit, aut publice prostant, veterum id genus* κειμηλίων *copia, nullum hactenus à me visum aut observatum memini, in quo gladio*

ca-

eadem Gentilium numina armentur; eoque ceu longo, quales olim Thracum enses exstitisse, vel ex Homero constat; θρηικίῳ μεγάλῳ Iliad. IV. v. 577. *vel brevi, sicuti* (a) *Macedonum* (b) *Laconum, immo in genere Græcorum Gladii ante Iphicratem fuisse perhibentur, qui longiores eosdem, teste Nepote in ejus vita, fecit. Adeo ut non tam Apollinem Venatorem, quam Meleagrum, Apri Caldyonii, ut notum, apud Ætolas interfectorem, illo Ætolorum nummo, in aversa nempe ejus parte, signari existimem. Quod vero ad primum nummi ipsius adspectum continuo conjeceram, & coram Tibi, lecta tua de hoc nummo notatione obiter indicaveram, firmare postea & adserere omnino mihi visus junior Philostratus, ubi* Icon. p. 861. *hanc ipsam Meleagri depictam Venationem pluribus narrans, hæc de eodem refert,* οἱ νεανίαι δὲ οὗτοι Μελέαγρος καὶ Πηλεύς. τούτους γὰρ δὴ τοὺς καθελόντας τὴν σῦν, φασὶν ἡ γραφή. ὁ μὲν ΕΠΕΡΕΙΣΑΣ ΕΝ ΠΡΟΒΟΛΗ ΤΩ ΛΑΙΩ ΠΟΔΙ ΕΑΥΤΟΝ Ο ΜΕΛΕΑΓΡΟΣ, καὶ τὴν βάσιν τηρήσας, (al. στηρίξας) ἀσφαλῶς ἐνδέχεται τὴν ὁρμὴν τῆς συός, ΛΩΓΧΗΝ ὑποστήσας, Hi porro adolescentes, sunt Meleager & Peleus; nam hosce fuisse, qui Aprum interfecerant, pictura dicit. Hic equidem SINISTRO PEDE SE IPSUM in procinctu FULCIENS (*aut* sinistro pede innixus) MELEAGER, & gressum obfirmans, secure impetum Apri excipit LANCEA sustentatus; *mox de ejus indumento* ἐσθὴς δὲ λευκὴ ὑπὲρ γόνυ, indumentum album super genu. προβολὴ *autem hic, non* progressus, *juxta Interpretem, sed nota significatione* procinctus, *quo sensu à Cicerone ad Atticum sumitur, decertaturi pugilis, ceu cujuscunque, ut hoc loco Meleagri, plagam inferre parati, tum de* munimento *quovis aut* propugnaculo *dici, ut vel ex Harpocratione licet, consuevit. Sic Hesychio* προβολὴ, ἐξοχὴ, *qualis alioquin*

(a) Plutarch. in Æmil.
(b) Id. in Lycurgo & Dione.

lib. XXI. Ep. XIII.

quin ἐξοχὴ *ſeu lapidum ſtrues in nummo, de quo hic agimus, ſpectatur;* πρόβολοι *autem eidem Grammatico* λίθοι lapides, fulcrum *etiam aut* columen *apud* (a) *Comicum Græcum; apud* (b) *Herodotum autem alicubi non de* verutis, *juxta Vallam, ſed de* venabulis *ſeu* jaculis *potius Thraciis dicuntur. Hæc autem modo è Philoſtrato adducta, quam aperte & luculenter cum illa figura hoc Ætolorum nummo à te poſt Goltzium adducto conveniant; immo quam lucem jam ei clariſſimam præferant, eundemque non illuſtrent modo, ſed interpretentur, tu ipſe ſtatues & probabis procul dubio, mi BEGERE. Hinc Apri etiam illius Calydonii, ac Venabuli, quo idem à Meleagro cæſus, in altero Ætolorum nummo quem itidem poſt Goltzium profers, expreſſa adhuc imago viſitur. Sicuti vero olim Scutum Argolicum, Thorax Atticus, Galea Bœotia, quod monet alicubi Ælianus, & aliunde conſtat, in pretio habebantur, ſic lanceæ Ætolicæ; unde Euripides de oppugnatione Thebarum agens, Tydeum & reliquos clypeatos milites,* λόγχαισιν Αἰτώλοισιν *uſos eam in rem docet. Quod autem de* λόγχῃ *ſeu venabulo, quo Meleager Aprum illum interfecit, in Apollinis Templo ab eo recondito, è Pauſania opportune memoras, ac inde petaſatum Apollinis caput in anteriori nummi illius modo dicti area depictum putas, illuſtrat egregie alius Ætolorum nummus, à me in præclaris Gallorum Cimeliarchiis viſus, in quo hinc Apollinis caput, ut vulgo ſolet, laureatum, illinc cuſpis Venabuli, Botrus, ac præterea dentes Apri Calydonii occurrunt, cum inſcriptione* ΑΙΤΩΛΩΝ. *Quamquam non apud Ætolos, ſed apud Arcadas, ſervatos dentes Apri hujuſce Calydonii, & inde*

(a) πρόβολος ἐμὸς Ariſtoph. Nub. p. 189.

(b) καὶ προβόλους δύο &c. lib. VII

Obſ. p. 2.

Var. Hiſt. l. III. c. 24. & Pollux l. I. c. 10.

Phœniſſ. v. 1173.

ab

ab *Augusto Romam advectos, memoret alicubi Pausanias; idemque idem ante de hoc Arcadum* κειμηλίῳ *monentem Callimachum norim, ubi post factam de venatione feræ hujus Calydoniæ mentionem, addit,* Libr. VIII. p. 524.

Ἀρκαδίην εἰσῆλθεν· ἔχει δ' ἔτι θηρὸς ὀδόντας. Hymn. in Dianam v. 220.

In Arcadiam pervenerunt, habetque etiamnum feræ dentes.

Alia nempe sors Apri *Erimanthii, cujus in Arcadia ab* Hercule *occisi dentes, apud* Cumanos *in* Opicis *servari, aut pro talibus venditari, tradit* Pausanias. *Mitto quod Apollini* Ἐπικουρίῳ, *eodem teste, Aper immolatus fuerit apud Arcadas; immo* Πτῷος *inde dictus legatur ille Latonæ filius, quod vix à partu libera, viso Apro exterrita fuerit eadem Dea; ut præter* Plutarchum *in* Pelopida, *notat ad Lycophronem Tzetzes. Sed hoc nihil ad Apollinem & Aprum Calydonium, ac ejus occisi dentes & venabulum, quæ in prædictis Ætolorum nummis signantur.* lib. VIII. p. 492 Ibid. p. 325. Schol. p. 53.

Alia adhuc essent, neque ea forte protrita, quibus tuas ad reliquos nummos Observationes fulcire possim ac illustrare. Sed nec idonea jam mihi otii facultas eam in rem suppetit, nec id valde efflagitant rei ipsius, de quo agitur, momenta. Nummus ille, ut obiter hoc addam, Amisenorum cum Galeato capite & pascente Pegaso à te post Goltzium vulgatus, idem cum rarioribus aliquot hujus urbis nummis, occurrit cum alibi, tum in Gaza Medicea. pag. 7. *Quod vero non viri, juxta Nonnium, sed Fœminæ, idque Amazonis aut Minervæ verius, galeatum illud caput statuis, postremum arguere equidem posset, quod in aliis Amisenorum nummis, caput Palladis spectetur galeatum itidem, cum insculpto, ut frequenter so-*

solet, Grypho, aut vero, qualem Parisiis vidisse ibidem memini Ægis Minervæ cum Medusæ capite. Opportune etiam inde originem ejus rei, galeati nempe Minervæ in hoc nummo capitis, arcessis, & arguunt manifestius commemorati modo & visi a me alibi nummi, quod non à Milesiis solum sed ab Atheniensibus quoque, ipso agnoscente Nonnio, habitata esset Amisus. Unde etiam factum, ut Attici generis Urbs ab (a) Appiano, ab (b) Arriano Colonia Atheniensium, à Srabone vero, non (c) Atheniensibus solum Colonis frequentata, sed Piræum etiam appellata dicitur eadem Amisus. Adde Milesios, ut aliunde notum, Atheniensium Colonos, plurimas in Hellespontum & ad Pontum Euxinum, ac inter eas Amisum, Colonias deduxisse, qua de re præter Geographos, videri potest Athenæus. Quamquam non à Milesiis forte aut Atheniensibus, conditam primo denominatamve Amisum, sed ab illius nominis Amazone arguere videatur insignis quidam nummus, quem Cl. deque hisce Antiquitatibus præclare meritus Patinus jam olim vulgavit, in quo cum turrita & securigera Amazon, & cui adscriptum nomen ΑΜΙΣΟΣ, Amisus, tum alia figura muliebris & turrita itidem visitur cum hasta, & addito nomine alterius urbis Ponticæ ΑΜΑΣΤΙΣ, Amastris. Cujus proinde vel unius nummi fide, conditam ab Amazone ejus nominis Amisum; aut in eam, quod censuit Patinus, deductam à Smyrnæis Coloniam (ob Smyrnam nempe Amazonem in eorum nummis, ut notum, & quos alibi illustramus, signatam) existimat eruditissimus P. Petitus. Sed nihil opus proinde Smyrnam Amazonem, ac

(a) Ἀμισοῦ, πόλιν Ἀττικοῦ γένους & Mithrid. p. 173.
(b) Peripl. Ponti.
(c) lib. XII. p. 577.
lib. XII. p. 523.
de Amazonib. Cap. XXXV.

ac Smyrnæos tanquam Amisi conditores præter veterum Autorum & monumentorum fidem, continuo ob expressam in eodem nummo Securigeram Amazonem, cum viris eruditis arcessere; quum finitima non solum esset Amazonum genitali solo Amisus, sed in ipsa Amisenorum regione Themiscyram, Amazonum olim sedem exstare, aperte tradat Strabo, ἔχει δὲ τήν τε ἄλλην χώραν καλήν, καὶ τὴν Θεμισκύραν, τὸ τῶν Ἀμαζόνων οἰκητήριον, habet autem (*Amisenus nempe tractus*) cum aliam regionem bonam, tum Themiscyram, Amazonum olim domicilium. *Unde caput illud in hoc Amisenorum nummo, quem à Goltzio vulgatum profers, inusitata specie galeatum, eidem Amazoni Amiso tribui forte etiam posset; ni obstare cuipiam videatur, quod Amazonum Galeæ juxta Strabonem alio loco, è pellibus ferarum exstitisse dicantur; ab Hesychio etiam è leoninis exuviis,* λεοντόκρανον Ἀμαζονικὸν ὅπλον. *Quo alioquin leonino capitis tegmine loco Galeæ armatos videre licet Signiferos & Aquiliferos in Columna Trajani, aliisque Dacicæ Victoriæ monumentis, obviis etiamnum & mihi olim Romæ visis in Arcu Constantini, nuper etiam in Admirandis urbis Romæ, ab intelligentissimo hujus memoriæ P. Bellorio illustratis. Notum vero, pro varia gentium & locorum indole, varias etiam Galearum species olim exstitisse. Sic Paphlagonum Galeas, gentis ab Amisenorum aut Amazonum tractu haud valde dissitas, Tiaræ formam referre tradit Xenophon. Adde Galeas itidem sub mento, ut in hoc Amisenorum nummo, religatas, gestasse veteres Dacos, Istri accolas, & Ponto, ut notum, vicinos, liquet etiamnum ex iisdem modo com-*

lib. XII. p. 547.

Obs. p. 7.

lib. XI. p. 504.

Ἀναβ. lib. I. p. 352.

commemoratis Expeditionis Dacicæ monumentis. Mitto hic, quod de Galeis veterum Græcorum in genere, quasi totam faciem occultantibus, minus opportune notat ad Claudiànum eruditissimus Barthius; quod abunde utique refellunt obvia in nummis, aliisque monumentis, galeata subinde Græcorum capita, cum facie, ut hoc etiam in nummo, non clausa vel tecta. Id equidem de Galeis Equitum Romanorum in campilustris totam faciem tegentibus, observat in Tacticis Arrianus, & nonnunquam â Græcis, maxime Exercituum Ducibus & summo cum imperio præfectis, ne agnoscerentur ab hostibus, usurpatum novi. Sed hoc alterius loci. Quod autem sine λόφῳ *vel* πίλῳ *ceu* crista *aut* penna, *solito alioquin veterum Cassidum ornamento, eadem hæc Amiseni nummi Galea; aut vero sine cælatis in eadem Casside vel Gryphi, vel Pegasi, vel Sphingis aliisque id genus consuetis in iisdem insignibus, de quibus videri potest Euripides in Electra, haud mirum vel insolens iis videbitur, qvi omni illo ornamenti genere vacuas norit antiquissimas veterum Galeas. Hinc* τριλόφους *seu* triplici crista insignes, *quarum mentio sæpe apud Auctores, Galeas, ut* novum inventum, *notant veteres ad Æschylum Critici. Caras certe primos Galeis* λόφους *seu* Cristas *imposuisse, cum abunde arguit* λόφος Καρικός, crista Carica, *inde ab Alcæo dicta, tum præter* (a) *Herodotum, aut Græcos* (b) *Thucydidis interpretes, firmat alicubi* (c) *Polyænus. Immo unde* ἀλεκτρυόνων *etiam seu* Gallorum gallinaceorum *nomine, Ammonis oraculo, designatos olim Caras memorat idem auctor, ac illustrat alicubi Plutarchus, qui itidem Caras dictos Per-*

pag. 78. Ult. ed.

à vers. 470.

τρεῖς κατασκίους λόφους Æschyl. Theb. v. 390. νεωτερικὸν τοῦτο. Schol.

(a) lib. I.

(b) Schol. ad. l. I. p. 5.

(c) Stratag. l. VIII. c. 3.

Ibid. Polyæn.

In Artaxerxe

Persis ἀλεκτρύονας docet, ob eas quas gestabant in Galeis Cristas; scilicet, quomodo apud Comicum legas alicubi, ἀλεκτρυόνων λόφων. Sicuti autem galeatum caput in anteriori nummi hujus Amiseni area, in originis supra memoratæ memoriam, ad Palladem, vel Amazonem aliquam illius tractus referri haud incommode potest, sic pascens in eodem nummo Pegasus, quod solitum alioquin Corinthiorum insigne, opportune ibi signatur; ceu in Bellerophontis, quod ibi mones, memoriam, qui ab Homero non solum, sed à Pindaro insuper aliisque, cum Amazonibus depugnasse dicitur; ceu forte, ut libera pacataque Amisus eodem symbolo denotetur. Haud ignotum enim iis qui hæc æra versarunt, ut pascentis Equi vel Muli, vel Bovis etiam symbolis, locorum, in quibus eadem occurrunt, tranquillitas & pacata tempora designentur. Quod de hac urbe Amiso minus novum, quæ post libertatem ab Augusto recuperatam, ΑΜΙΣΟΣ ΕΛΕΥΘΕΡΑ, seu Libera Amisus, in præclaris urbis illius nummis, deductaque inde loci Epocha, quod jam olim monui, etiamnum appellatur. Insignis vero eam in rem præ aliis à me visis, & è maximorum genere, nummus Regiæ Gallorum Gazæ sub Maximino cusus, in quo in conjunctionis seu originis à Mileto, uti paullo ante vidimus, deductæ memoriam, expressa Citharœdi Apollinis & Serapidis (Pontici, ut aliunde liquet, Dei,) tanquam Mileti & Amisi tutelarium Numinum simulacra, cum epigraphe, ΑΜΙΣΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡ. & adscripta Æra ΣΞΗ. h. e. Amisi Liberæ CCLXVIII. à parta nempe sub Augusto Libertate; infra autem ΑΜΙΣΗΝΩΝ ΜΙΛΗΣΙΩΝ, Amisenorum, Milesiorum.

In Avib. p. 609

Od. XIII. Ol. Tzetz. ad Lycophr. p. 5. 6.

):( ):( ):(Ab-

Abderitarum vero nummum quod adtinet, quem a Goltzio olim vulgatum, nec à Nonnio intellectum profers ac illustras, in quo caput imberbe laureatum, cum inscriptione ΕΠΙ ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ *h.e. te interprete*, sub Jove Sinistro, *in aversa autem parte Gryphus; illud monere obiter liceat nummum ipsum olim à me observatum, cum in Gaza Medicea, tum Romæ inter cimelia Leonardi Agostini, celebris tum in Urbe antiquarii, & edito de Gemmis aliquot antiquis opere noti. In utroque autem, caput laureatum in quadrangulo, seu aræ quadrangulari inclusum occurrrebat, & quod ad Philippum alii, juxta Nonnium, alii ad Cassandrum continuo referebant. Ingeniosè vero, tu voces eidem capiti adscriptas*, ΕΠΙ ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ, *quarum mentem ignorare se ait Nonnius*, sub Jove Sinistro *explicas, ac inde ad Jovem pro Sole vel Aere sumptum, ac signatum haud absimili modo in præclaris Romanorum nummis* Vejovem, *idem caput imberbe aut laureatum refers. Caussam vero expressi in eorum nummis* Jovis *illius* Sinistri, *in aversa autem parte Gryphi, inde continuo revocas, ad infectum vehementiori Solis æstu apud Abderitas aerem, indeque morbum illum seu* πάθος *à Luciano alicubi descriptum; adeo ut hinc* Jove Sinistro, *infestum illum apud se aerem, illinc* Grypho, *se dignos haud minus Apollinis alumnos, venditare voluerint Abderitæ.* Jovem *equidem pro* Cœlo, *non solum aut* Æthere, *sed pro* Sole *etiam sumptum constat, ut monet in vita Arati Hipparchus à doctissimo Petavio vulgatus; ac unde, sicut Sol* Πανόπτης *vel* Παντόπτης *ab*(a) *Æschylo, alibi*, (b) ὁ πάντ᾽ ἐποπτεύων, omnia inspiciens; *sic Juppiter* (c) ὁ πάνθ᾽ ὁρῶν, *vel* (d) ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷ, qui omnia videt *aut* respicit *à Sophocle, alicubi vero ab Euripide*, (e) ὁ φαναῖος *seu* conspicuus *dicitur. Idem autem*

Obs. p. 13.

De Conscrib. Histor.

Vid. Strab. l. 1. p. 3.

Vranolog. p. 273. 274.

(a) Prom. v. 91. & in Prom. λυομ. ap. Strab. l. 1.

(b) Choeph. v. 355.

(c) Autigon. v. 190.

(d) Elect. v. 176

(e) Rhes. v. 355.

tem pro Æthere *non solum sed* Aere, *obvius, ac unde* Αἴθριος, ὕετιος, ὑέτιος, ὄμβριος, ἰκμαῖος *etiam seu* Serenus, Pluvius, Humidus *Virgilio, Horatio* Frigidus *vocari subinde meruit; aut sicuti Syracusanus vates alicubi de Jove modo* Sereno,*modo* Pluvio, χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει. Idyll 4. v. 43. *Adde quod sicuti* Λαιὸς *hoc in nummo, uti eum explicas, seu* Sinister, *sic* Ὑπερδέξιος *apud Lesbios, quod è Nicolao Damasceno constat, fuerit appellatus;* In Excerpt. Valesʃ. p. 512. *aut quod malorum omnium (ac proinde æstus illius & morbi inde apud Abderitas exorti) quæ hominibus eveniunt, à Pöetis autor, ut notat alicubi Plutarchus, statuatur.* De audiend. Pöet. *An ideo tamen signari, eoque sub infausto nomine, meruerit ab Abderitis idem Juppiter, idque in memoriam faceti cujusdam, quo laborasse per æstatem quandam dicuntur, delirii causa, haud facile equidem crederem, Idque eo minus verisimile continuo videbitur, quod nec constans, nec diuturnus hic Abderitarum morbus exstitisse à Luciano traditur, sed sequuta hyeme sedatus; nec adeo intolerando & consueto loci illius æstui, quam casui cuidam singulari tribuitur; dum media nempe æstate multo æstu, audiendæ Euripidis Andromenæ iidem vacant. Unde dubitare quis posset, annon forte unica voce, non duabus legendum sit in eodem nummo* ΕΠΙΔΙΟΣ, *addito* ΛΑΙΟΥ *nomine, seu* Epidius Laii *filius, quo Prætore nempe aut Rectore Abderitarum nummus hic sit cusus. Nota utique & recepta utraque, quod aliunde liquet nomina apud Græcos. Immo idem caput imberbe & laureatum, aut quadrangulo, ut dixi inclusum, in aliis Abderitarum nummis vidisse & adnotasse memini, & cum Grypho pariter in aversa eorum parte, in quibus*

alia ſignantur Præſidum loci nomina, ſicuti in duobus Abderitarum nummis, in quorum altero, figuræ illi in quadrangulo adſcriptum erat, exeſis aliquot litteris ΕΠΙ Γ- - - - ΚΟΣΙΟΣ; *in altero, ubi Grypho addita epigraphe,* ΜΕΝΑΝ· *ſeu* Menander. *Addo nullum hactenus, quantum equidem recordari licet, à me nummum obſervatum, in quo illud* ΕΠΙ, *Jovis aut aliorum Deorum nominibus & ſimulacris adjunctum occurrat; paſſim vero, ut noſti, Prætorum aut loci Præſidum nominibus, ſub quibus nummi id genus cuſi, idem ſocietur. Gryphum autem in averſa eorundem nummorum parte obvium, Soli quidem non apud Indos ſolum, quod teſtatur alicubi Philoſtratus, ſed alibi etiam apud Græcos ſacrum non diffiteor; unde Gryphos Solem trahere videas in veteri marmore apud Cl. Sponium. Sed non proinde liquere arbitror, quod eo Gryphi ſymbolo, uti exiſtimas, dignos ſe Apollinis alumnos, ob præclara ſcilicet Democriti, Protagoræ, aliorumque ingenia, efferre voluerint Abderitæ. Gryphi enim id Genus ſæpe in Græcorum nummis obvii, neque ſemper in iisdem ad Apollinis cultum aut numen referendi. Hinc non Apollinis quidem aut Solis, ſed* Jovis acuti oris Canes, *ab Æſchylo dicti alicubi iidem Gryphi; ſicuti eadem appellatione* Volucrum Jovis Canum, *Aquilæ alibi ab eodem Pöeta nuncupantur. Aquilis quippe acuto oris roſtro ac alis, quod hic & gemini nummi abunde comprobant, ſimiles Gryphi; unde opportune* γρυπαιέτους *vocat eosdem Ariſtophanes; & è quibus inſuper nummis liquet, cur* quadricruris ales τετρασκελὴς οἰωνός *ab eodem Æſchylo Gryphus alibi appellatur. Verum ut totam hanc*

rem

De vit. Apoll. l. III. C. XIV. p. 152.

Miſcell. Tom. V. pag. 3.

ὀξυστόμους Ζηνὸς κύνας Prom V. 802.

πτανοῖσι κυσὶ πατρὸς. Agam. V. 140.

Ran. p. 253.

Prom. V. 344.

rem de hoc Abderitarum nummo paucis expediam, illud ex Herodoto & Strabone constat, Abdera à Teiis *Joniæ incolis quondam condita, quum ab Harpago expugnati, in Thraciam trajecissent Teji.* (Herodot lib. I.) *Hinc* Ἄβδηρα καλὴ Τηΐων ἀποικία, Abdera pulcra Tejorum Colonia *dici olim peculiari elogio, teste Strabone, meruit.* Tejorum *autem,* (lib. XVII. pag. 644.) *in antiquis & insignibus eorundem nummis, symbolum* Gryphus; *cujusmodi plures vidisse juvit in præclaris Cimeliarchiis, ac maxime in Gaza Gallorum Regia, in quibus hinc in anteriori parte, modo Lyra, modo Corona hederacea, modo Caput muliebre turritum, in aversis autem singularum partibus Gryphus visitur. Unum hujus generis cum Grypho, & tanquam è Cimelio Regio, sed verius ex ejusdem* πινακίῳ, *minus accurate, gnarus loquor, confecto depromptum adtulit Harduinus, nempe* ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΤΗΙΩΝ, *cum in eodem nummo* ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΣ ΤΗΙΩΝ (Num. vrb. III. p. 491.) *legatur; adscripto nempe* Metrodori, *urbis Prætoris aut Præsidis nomine, non* Metropoleos, *qualis nuspiam legitur,* Teos. *Alius occurrit iu eadem Gaza nummus, in quo hinc Caput muliebre turritum ac urbis nomen* ΤΕΟΣ; *illinc Gryphus pedem Catharo imponens. Sacer enim Baccho idem locus, quod arguunt etiamnum alii urbis illius nummi sub Cæsaribus cusi, cum Bacchi & Pantherisci, Dei illius symboli, sicuti à Philostrato vocatur,* (Icon. lib. I. p. 754.) *effigie; quales duos imprimis insignes, & e maximorum genere sub Severo & Valeriano subministrat eadem Gaza Regia, ac evincit insuper nummus itidem cum Regius tum Mediceus, in quo hinc Gryphus, illinc Corona hederacea, cum inscr.* ΤΗΙΩΝ. *Inde autem jam liquidum, cur consueto Coloniarum more, & in hoc veterum*

nummorum suppellectile passim obvio, ad denotandam originem, signetur in Abderitarum nummis Gryphus, haud aliter ac Pegasus, Grypho haud absimilis & Corinthiorum, ut notum, insigne, in Syracusanorum & Corcyræorum, qui à Corinthiis orti, nummis passim spectatur. Caput autem illud imberbe ac laureatum in anteriori ejusdem Abderitarum nummi area, vel ad Abderum, Herculis delicium & à quo non solum Vrbi, ut (a) *volunt, nomen, sed solemnes quoque & stati Agones in ejus memoriam ab Abderitis celebrari soliti, sicut aperte docet alicubi Philostratus,* ὁ δὲ ὅπερ οἱ πολλοὶ γε τοῦ Ἀβδήρου ἀνίστασιν, ἣν ἀπ' αὐτοῦ καλοῦμεν· Καὶ ἀγὼν τοῦ Ἀβδήρου κείσεται· ἀγωνιεῖται δὲ ἐν αὐτῷ *&c.* Hic autem (*nempe Hercules*) non ut multi, Abdero civitatem condit, quam ab ejus nomine appellamus. Abdero insuper Agon constitutus, in quo certandum pugilatu, lucta, pancratio. *Ni malit quis forte ad Tisamenem Clazomenium eandem figuram referre, qui quum ante Tejorum in Thraciam profectionem, Abdera primus condere cepisset, Thracibus ejectis, pro Heroe tamen à Tejis eadem in verbe coli meruit. Luculentus testis hujus rei Herodotus,* τιμὰς νῦν ὑπὸ Τηΐων ἐν Ἀβδήροισιν ὡς Ἥρως ἔχει, honores nunc à Tejis apud Abderitas tanquam Heros obtinet. *Unde plana jam huic Abderitarum nummo, à te post Golzium producto lux, nec aliunde arcessenda. Ne indictum jam hic sinam alium Abderitarum nummum Gazæ Mediceæ, & sub Antonino Pio cusum, in cujus aversa parte caput non lauro equidem, sed diademate revinctum spectatur, retro autem caput media Luna, notum jam olim Thracum, apud quos Abdera, & in Byzantiorum nummis consuetum pridem Numen.*

(a) Strabon. Exc. l. VII. & Steph. in Ἄβδηρ.

Icon lib. II. pag. 817.

lib. 1.

Sed

Sed manum cogor de tabula tollere. Unum modo addam, postremum à te adductum, Tenediorum nempe nummum, hinc cum bifrontis seu, junctis viri ac mulieris capitibus, illinc cum Bipenni inter Botrum ac Lyram, ab Aristotele pridem, ut ex Stephano non solum, sed Suida etiam liquet, explanatum fuisse, indicata omni ejus rei, bicipitis nempe capitis ac Securis in iisdem expressæ causa & origine. Quamquam ab eo discedat Plutarchus, dum à Cancris, qui apud Tenedios nascerentur, formam Securis expressam gestantibus, dedicatam apud eos, ut consuetum, loci insigne, Securim notat; & cujus rei vel appellationis originem à voce Arabica deducit in eruditissimo de Coloniis Phœnicum Opere, ὁ πάνυ *Bochartus. De Lyra autem ac Botru, una cum Securi in eodem Tenediorum nummo signatis, non opus pluribus monere, sacrum Baccho non minus ac Apollini Smintheo, qui* Tenedo imperare *pridem ab Homero dictus, ac in aliis Tenediorum nummis spectatur, locum denotari. Hinc communionem inter Teneatas Corinthii pagi & Tenedios, in Apollinis cultu, tanquam indicium ejusdem originis commemorat alicubi Strabo. Botrus autem obvia in eodem nummo,* εὔβοτρυν *nobis seu* πολύβοτρυν *Tenedum, haud paullo manifestius ante oculos ponit, quam vel Peparethum* (a) *Sophocles, vel Bouprasium, aut Amurum* (b) *Theocritus vel* (c) *Hesiodus, quas similibus ornant elogiis. Immo non vino solum, sed frugibus etiam feracem eandem Tenedum, arguit similis Regiæ Gallorum Gazæ nummus, in quo non Lyra equidem sed Spica visitur cum Botru ac*

Obs. p. 61.
de Pyth. Orac.
lib. I. Cap. IX.
Τενέδοιο ἶφι ἀνάσσεις. Iliad. A.
lib. VIII. p. 380
(a) Philoch. v. 565.
(b) Idyll. κε. v. 11.
(c) Steph. in Ἄμυρος.

Se-

Securi; ac firmat alius insuper nummus Tenediorum aureus, cum expressa Cereris in priori ejusdem area effigie, ac Securi in aversa. Sed de his hactenus; idque haud alium in finem, quam ut lectas à me, quod rogasti, ingeniosas ac eruditas Observationes tuas, apud Te testatum relinquerem.





Per-Illustri & Generosissimo
Domino
Ezechieli Spanhemio,
Serenissimi Electoris Brandenburgici
Ministro Statûs & Intimo,
Summoque Cimeliarchii & Bibliothecæ Electoralis Præfecto,
Domino & Patrono suo,
Omni submissionis & observantiæ cultu Venerando
S. P. D.
Laurentius Beger.

NUnquam, GRATIOSISSIME MÆCENAS, majore animus meus voluptatis exiluit dulcedine, quàm ad conspectum Epistolæ Tuæ, mellifluo nobilioris doctrinæ penu refertissimæ. Nihil sanè jucundius mihi accidere potuisset, quàm

ab Eo, cujus profundam Antiqvitatis notitiam omnis Eruditorum corona veneratur, levidensi meo opusculo & fulcrum apponi & lucem præferri. Id felicitatis etiam ab iis, qvi minore & fastigio fulgent, & negotiorum mole distrahuntur, grato animo suſciperem; Cùm autem à TE mihi tributum videam, qvi & Publicæ Patriæ saluti curas tuas cum gloria impendis; & eo dignitatis in culmine radias, qvô rarus, etiam non ignobilibus Musarum Alumnis aditus patet, non possum, quin animum profitear non gratum tantùm & lætum, sed, qvem debeo, cum lætitia devotum. Benevolentiæ scilicet non vulgaris indicium est, quòd non, ad receptum hodie morem, quæcunque mea laudaveris, sed paternâ sinceritate, qvæ minus ex re videbantur, detexeris. Ea benignitatis Tuæ tessera, uti simul in universos, quos jam dudum æternis Tuis operibus Tibi devinctos tenes, nobilioris Antiqvitatis Cultores derivatur, ita mihi præcipuè spem facit, non iniquo Te animo laturum, si ea in medium proferre sustineam, qvæ mihi, in Epistolæ Tuæ assensum ruituro, se objiciunt. Id eò magis confido, qvò puriore affectu negotium suscipio, non alio fine procedens, qvàm ut nobilissimas cogitationes Tuas ab omni, qvæ forsitan iis occurere posset, nubecula liberandi Tibi occasionem præstem: sat magnum laboris mei & præmium habiturus & gloriam, si causa fuisse dicar, ut illustri Tuo stylo recondita qvædam Antiqvitatis κειμήλια fuerint illustrata.

Egregia sunt, quæ pro mea de APOLLINE PETASATO opinione: Egregia, quæ contra eam adferre Tibi placuit. Petasum Venatorum, Piscatorum, iterqve aut aliud opus facientium, contra Solis ardores, gestamen fuisse, oportune doces, eoque opinionem meam firmari posse arbitraris, quòd Apollo ἀγρευτὴς *Venator SOPHOCLI* memoretur, & Mercurius cognomento ἐνόδιος *Viæ Dux* in antiquis monumentis petasatus occurrat.

Quod

Quod de Solis ardore refers, egregiè fulcit exemplum Augusti, qvi *SUETONIO* [*a*] *teste*, *Solis ne hiberni quidem patiens*, *domi quoque non nisi PETASATUS sub divo spatiabatur*. Et quid, quòd non Mercurius tantùm ἐνόδιος audiat, sed ipse etiam Apollo Ἀγυιεὺς καὶ Ἀγυιάτης τουτ᾽ ἔστιν ἐφόδιος *Viæ præses* apud *STEPHANUM BYZANTINUM* & *SUIDAM* [*b.*] legatur, ut taceam *Synodum*, qualiter in inscriptione Lanuvii à *M.* Aurelio Augusto posita, Apollinem dictum, Lilius Gyraldus refert, quod vocabulum Hesychius συνοδοιπόρον *Viæ* sive *itineris Comitem* interpretatur: adeò ut hactenus nec mos, nec conjectura vacillarent, etiamsi firmiora argumenta deessent.

Sed arctius rem stringendam arbitrabar; Quid enim mos petasum gestandi, nisi & innotesceret, Apollinem eum morem secutum? Id ex collatione Numismatum Augusti & Ætolorum me effectui daturum sperebam, & cum Tu, PATRONE GRATIOSISSIME, Opinioni meæ, saltem quoad capita petasata non refrageris, jam aliquid mihi videor profecisse. Unicum dilucidandum restat. Figuram in aversa Numismatis primi, cum appenso à tergo Petaso stantem, ne Apollini continuò tribuas, obstare dicis, quòd non hastâ solùm, sed præterea brevi gladio, seu pugione, cinctus ibidem obversetur, quod amaturæ genus Gentilium Dii præferre non soleant: adeò ut potius Meleagrum, Apri Calydonii apud Ætolos interfectorem, illo Ætolorum nummo, in aversa ejus parte, signari existimes, præsertim cùm Tuam conjecturam firmare omninò & asserere visus sit *JUNIOR PHILOSTRATUS*, ubi hanc ipsam Meleagri depictam venationem pluribus narrans, hæc de eodem refert. Οἱ νεανίαι οὗτοι, Μελέαγρος καὶ Πηλεὺς. Τούτους γὰρ δὴ τοὺς καθελόντας τὴν σῦν, φασὶν ἡ γραφὴ, ὁ μὲν ΕΠΕΡΕΙΣΑΣ ΕΝ ΠΡΟΒΟΛΗ ΤΩ ΛΑΙΩ ΠΟΔΙ ΕΑΥΤΟΝ Ο ΜΕΛΕΑ-

(a.) *c.82.* (b) *sub voce* Ἀγυιὰ. *Adde & Macrobium Saturn. 1.*

ΓΡΟΣ, καὶ τὴν βάσιν τηρήσας (al. στηρίξας) ἀσφαλῶς ἐνδέχεται τὴν ὁρμὴν τῆς συὸς ΛΟΓΧΗΝ ὑποστήσας *Hi porrò adolescentes sunt Meleager & Peleus; nam hosce fuisse, qui aprum interfecerant, pictura dicit. Hic equidem SINISTRO PEDE se ipsum in procinctu fulciens (aut sinistro pede innixus) MELEAGER, & gressum obfirmans, securè impetum apri excipit, LANCEA sustentatus.* Hæc è Philostrato adducta quàm apertè & luculenter cum illa figura Ætolorum Numismatis conveniant, imò quàm lucem jam ei clarissimam præferant, eundemque non illustrent modò, sed interpretentur, mihi, ipse ut statuam, jubes, & probaturum procul dubio, confidis.

Equidem tantum mihi non arrogo, ut de sententiâ Tuâ mihi judicium sumam; attamen cùm meam hæsitationem illustriores adhuc nobilissimæ Antiquitatis gemmas ex refertissimo omnigenæ Eruditionis Tuæ penu elicituram sperem, paucis quid assensum meum cohibeat, pandam.

Primò in allatis *PHILOSTRATI* verbis Meleager *sinistro pede* se fulcire dicitur; Atqui in Numismate non sinistro pede se fulcit, sed dextro; Neque enim est, quod excipere possim, elevato pede dextro super lapidum strue, corpus omninò sinistro pede fulciri, cùm Author dicat ἐπερείσας ΕΝ ΠΡΟΒΟΛΗ τῷ λαιῷ ποδὶ ἑαυτὸν ὁ Μελέαγρος *sinistro pede seipsum in procinctu*) vel ut postea cum Hesychio interpretaris, ἐξοχὴ *Lapidum strue*) fulciens.

Deinde Macedonum, Laconum, imò in genere Græcorum Gladios ante Iphicratem breves fuisse, ipse ex Plutarcho & Nepote probas. Addere possem & sequentem Cimeliarchii Electoralis Brandenburgici nummum,

in



in quo gladiator, aut secundum *HARDUINUM* Ajax, brevem ejusmodi gladium stringit, ut ita assertum id ex idoneis non tantùm Authoribus, sed etiam Antiquitatis monumentis patescat; Si autem ad id, quod in figura Numismatis Ætolorum gladium dicis, prisci gladii longitudinem metiamur, apparebit, longius id esse, quâm ut gladius priscus credi possit; Non enim tantùm à tergo ad brachium sinistrum pertingit, uti apud *GOLTZIUM* delineatur, sed ad hastam usque, quâ figura se fulcit, uti sequens nummus,



quem Cimeliarchium Electorale Brandenburgicum asservat, procul dubio ad antiquum effictus innuit, in quo ferè dimidiam totius figuræ longitudinem adæquat, ut taceam cuspidem, quæ non, ut gladiorum solet, retrò, tergum versus, sed inverso modo, versus hastam antrorsum vergit.

Tertiò: *PHILOSTRATUS* ait, *Meleagrum impetum Apri excipere*; In nummo autem nullus omninò Aprum excipientis habitus. Quieti potius est & otiosi, qualiter ferè & in numismatibus Neptunum cernimus.

Unicum, quod aliquem Meleagri colorem præferre posset, restat *indumentum album super genu:* Sed si probè figuram inspiciam, nec acies me fallit, non super genu indumentum hoc, sed à brachio Sinistro juxta genu dependet, adeòqué & hoc, ne pro Meleagro ex hoc *PHILOSTRATI* loco adducatur, evanescit.

Dum hæc ita deduco, duplicem mihi videor imposuisse necessitatem: Primò ut veram & verbis *PHILOSTRATI* convenientem Meleagri imaginem ostendam; Deinde, ut figuram in Numismate Ætolorum hastatam determinem, indubiisque argumentis, quid de ea sentiendum sit, evincam.

Quod Meleagrum attinet, eum ex schedis *PIGHII* MSCtis, quæ in Electorali Cimeliarchio asservantur, propono talem:



Hic

Hîc cernimus Meleagrum, Secundum *PHILOSTRATUM*, ἐν προβολῇ, id est, *in ipsa se objiciendi & opponendi, imò & Venabulum prætendendi actione*; Quamquam enim fatendum sit, προβολὴν sæpius etiam idem significare, quod πρόβλημα, id est, *ipsam rem*, quæ objicitur, uti eruditè mones; STEPHANUS tamen: προβολὴν, inquit, *intelligo ipsam actionem objiciendi & opponendi aliquid, aut prætendendi; at* πρόβλημα *id quod objicitur.* Et iterum: προβολὴ *est status pugilis in procinctu stantis, occasionique inferendæ plagæ imminentis.* Tandem: προβολὴ *Metaphoricè pro eo, quod prætenditur, & prætexitur.* Metaphoricè? Ergo prior significatio, quâ actionem denotat, propria est? Quæ igitur ratio, ut à propria significatione recedamus? In numismate Ætolorum nihil video, quod objiciatur, opponatur aut prætendatur, nullum munimentum, aut propugnaculum; solus, si ita placeat, Lapis apparet, sed vix unum pedem, si ad figuram metiamur, altitudine superans, ut taceam, dextro pedi suppositum, quâ ratione potius ὑποβολὴ dicendus esset, quàm προβολῇ. Sanè quò magis Meleagrum Pighianum considero, eò magis eum ἐν προβολῇ stantem deprehendo, se ipsum enim toto corpore pronum apro objicit, & quod

Alterum Argumentum est, ad descriptionem PHILOSTRATI ἐπερείσας ἑαυτὸν τῷ λαιῷ ποδὶ *Sinistro pede se ipsum fulciens* cernitur, quod scilicet projecto extra centrum gravitatis, ut cum Mathematicis loquar, corpore, aliter consistere non posset.

Imo & τηρήσας (al. στηρίξας) τὴν βάσιν *gressum sive servans sive obfirmans* deprehenditur. Ideò enim pedem dextrum retrò protensum summâ vi terræ quasi affigit, ut fulcrum esset contra ima-

manis feræ impetum : Ideò pede ſiniſtro, non tantùm ut corporis fulcro, ſe fulcit, ſed tantô niſu inflexum figit, ut undique muſculi emineant, non vulgaris conatûs indices. Et quid multa?

Ἐνδέχεται τὴν ὁρμὴν τῆς συός, ut cum eodem Philoſtrato loquar, *Excipit impetum Apri Meleager*, & excipit ἀσφαλῶς *ſecurè*, ut interpres Philoſtrati vocem reddit. Ita & STEPHANUS *tutò*, *ſine periculo*; Sed hæc tantùm per conſequentiam; propriè enim *minimè lubricè* dicerem, ut ἀσφαλὴς ὁδὸς *via minimè lubrica, via in qua non lapſatur, via quam quis citra lapsûs periculum inſiſtere poteſt*, eodem Stephano docente; ut ita clarum ſit, vocem hanc ἀσφαλῶς non ad προβολὴν ſeu munimentum aliquod reſpicere, ſed ad στηριγμὸν τῆς βάσεως ſtabilitatem greſſûs referendam eſſe.

Sed & Lanceæ mentio incidit. λόγχην ὑποστήσας Meleager apud PHILOSTRATUM memoratur. *Interpres Lanceâ ſuſtentatus* vertit, quod ad Numiſma quadraret, ſi juſta eſſet verſio; Sed ut, quod ſentio, fatear, ſuſpecta mihi videtur. Vox ὑποστήσας eſt Aoriſtus primus Activi à verbo ὑφίστημι, quod prælaudatus Stephanus interpretatur *ſtatuo ſub*, *colloco ſub*, *Suppono*, *ſubjicio*. ὑποστήσας igitur ſonat *ſubjiciens*, *ſupponens*, *collocans ſub*, *aut ſimile quid*, uti apud Plutarchum Otho τὸ ξίφος ὑποστήσας ὀρθὸν ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ, περιπεσὼν ἄνωθεν. *Pugionem ſubjiciens* (pectori ſuo) *directum ambabus manibus, & incumbens supernè* Nonne ita & Meleager noſter λόγχην ὑποστήσας haſtam ſubjiciens Apro ex geſtu colligitur? Sed λόγχην in ſuperiore monumento vetuſtas ſubtraxit, in ſequente

Imo



Imo & in eo, quod *Cl. SPONIUS* publici juris fecit, adhuc cernitur, Meleagro, eodem ubique habitu, Aprum excipiente, ut eò minus dubitari possit vel de antiqvitate, vel de veritate.

Restat ἐσθὴς λευκὴ ὑπὲρ γόνυ *indumentum album super genu*, quod unicum his in monumentis non apparet, apparet autem *chlamys*, quam cervici involutam, planè qualiter hîc visitur, Meleagro fuisse idem *PHILOSTRATUS* memorat: χλάμιδα τε κεgκοβαφῆ ὑπὲρ αὐχένος κολπώσας inquit. Ut taceam habitum Corporis, quem talem interprete *STEPHANO NIGRO* apud eundem legimus: *Callosus & rigidus est juvenis, & corpore toto vegetus. Suræ ipsi benè compactæ & rectæ, atque in curriculis ad ferendum idoneæ, & in certamine inito cominus sustinendo bonæ custodes, & femur*

mur junctum toris, genu inferiori tibiæ respondet: & talis coxendix, ut fiduciam præbeat, Adolescentem apri impetu non subversum iri: tum latus profundum, & venter minimè super vacuus, & pectora moderatè propensa, & brachium articulis nexum, & humeri ad cervicem validam cohærentes, & basin ipsi exhibentes: coma verò Soli concolor & nunc vi impetûs *erecta, & horrendum intuens cæsiis oculis, itemque supercilium non remissum, sed in animi æstu totum, ut vultus constitutio, quæ non concedit de forma quicquam dicere, quia intento actu fuit.* Hæc utique concinnè ad Meleagrum Pighianum quadrare mihi videntur. An eadem in figura Numismatis Ætolorum? Minimè verò. Licet enim ob simulacri parvitatem de singulis aptè judicari non possit, tamen *Vis impetûs* (τὸ τῆς ὁρμῆς ἐνεργὸν) quæ etiam in minimis appareret, in ea non invenitur, & cùm ab hac reliqua ferè omnia vel dependeant, vel intendantur, jam pronum est de iis, etiam in minimis, judicium.

Ad secundum transeo. Cùm Verba *PHILOSTRATI* ob deductas hactenus rationes simulacro Numismatis Ætolorum non conveniant, aveo scire, an aliunde pro Meleagro rationes surgant? Mihi hactenus nullæ apparent. Potius conjectura sedet, quæ & in observationibus meis, hoc Ætolorum in Numismate non alium, quàm Apollinem agnosci debere, idque eò magis, quod hastam in Apolline nihil novi esse, vel TE, *Patrone gratiosissime*, docente intellexerim. Sed inquiat aliquis, utique non hastâ solâ insignis est hæc figura, imò adhuc aliud ad latus gerit. Id quid rei putabitur, si non gladius, Apollini neutiqvam addicendus?

De gladio quidem consentiri possem, cum Apollo χρυσάωρ *Aureo ense cinctus* tam *HOMERO*, (a.) quam *HESIODO*, (b.) imò

(a.) *Il. lib. 15. v. 256. & hymn. in Apoll. v. 123.* (b.) ἔργ. & ἡμερ. v. 769.

imò & *PINDARO* (a.) memoretur. Sed in proposito gladium esse non posse, luculenter opinior supra ostendi. Quid igitur est? An Pedum Apollinis Pastoris? Non arbitror: An Jaculum Sagittarii? Neque hoc, cùm nec arcus adsit, nec figura sagittam referat: An plectrum? Atqui longius est, quàm ut Plectrum dici possit; Plectrum enim in Numismatibus observatur, sed ubique brevissimum: Et ad quid plectrum sine Citharâ? Quid tandem? Respondeo *Tibia*! At excipi potest: Quis unquam Tibiam Apollini tribuit? Annon id genus instrumenti huic Deo invisum? Fueita! Nonne reconciliari potuit? Id aperte docet *PAUSANIAS* (b.) *Sacada*, inquit, *primus Cantum Pythium Tibia Delphis cecinit, quo delectatus Apollo cum Tibicinibus in gratiam rediit, cùm ante eos malè odisset propter Marsyæ & Sileni certamina.* Et quid? Nonne τὸ αὔλημα τὸ Πυθικὸν *Pythii Tibiarum Modi* Apollini Sacri? Idem PAUSANIAS (c.) id asserit, additâ ratione, quòd primus Olympicis Apollo vicisset, unde postea & salientibus Quinquertionibus fuerint adhibiti. Et iterum: Nonne Ipse Apollo *Tibiarum* repertor fuit? Nonne sacrificia ejus *Tibiis* interim canentibus peragebantur? Nonne ipse in Delo positus dextrâ manu arcum, læva Gratias habuit, quarum una *Tibias* præferebat, dum aliæ alia instrumenta Musica? Nonne id simulacrum antiquissimum & Herculis jam tempore à Mœropibus factum? Nonne & Puerum, qui Tempiam laurum Delphos deferebat, comitabatur *Tibicen*? Nonne & Hyperboreorum Sacra, adhibitis inter alia instrumenta Musica *Tibiis*, in Delum antiquitùs mittebantur? Taceo, quod tamen rei caput videri posset, fuisse, qui *Deum ipsum Tibia cecinisse*, imò qui *à Minerva id eum* autumant *didicisse*. Omnia hæc appositè deducit Soterichus apud PLUTARCHUM (d.) Et quale est, quod apud DIODORUM (e.) legi-

(a) *Olymp. od. 5.* (b.) *in Corinth.* (c.) *Elias priore.* (d.) *de Musica.* (e.) *lib. 3.*

legitur, Apollinem Marſyæ pelle detractâ, pœnitentiâ ductum, ruptis citharæ nervis, inventam à ſe harmoniam aboleviſſe, inde *Citharâ Tibiisque* in antro Bacchi dedicatis, amore Cybeles inflammatum, ad Hyperboreos usque cum eâ oberraviſſe? Sed hæc benè ſe habent. Apollini Tibias quadrare mihi videor probaſſe. Ulterius progredior; Neque enim ſufficere videtur, Apollinem Tibiis vel amicum, vel uſum noſſe, niſi & pateat, qualis illa Tibia ſit, quæ in nummo viſitur, & cur in Ætolorum Numiſmate Apollini tribuatur?

Equidem de Tibiarum generibus non diſputabo. Tantummodo dicam, *Marſiæ Tibiam* videri, tributamque Apollini, ut rem ei Deo dedicatam, non minus ac Venabulum Meleagri, proindeque propoſito in numiſmate utrumque eum præferre. Conjecturam non tantùm fulcit mos, res dedicatas Diis adaptandi, quod vel ex nummo Hecatomni (a.)



patet, in quo Jovi Cario bipennis Amazonis adaptata viſitur, docente PLUTARCHO; (b.) Sed etiam, & quidem imprimis, PAUSANIAS, qui, cùm haſtam Apro Calydonio fatalem à Meleagro in Apollinis Templo repoſitam, verbis à me paginâ ſecundá obſervationum allatis, narraſſet, ne unicâ quidem voce interpoſitâ, ſubjicit: καὶ αὐλοὺς ἀνατεθῆναι φασὶν ἐνταῦθα τοὺς ΜΑΡΣΥΟΥ. *Ibidem* (in eodem templo) *etiam Tibias Marſyæ repoſitas ferunt.*

(a.) *Cim. El. Brand.* (b.) *Quæſt. Gr.*

runt. Imò etiam addit, à quo fuerint repositæ, & quomodo in Peloponnesum devenerint *Post adversum Sileni casum, eas Marsyam amnem in Mæandrum* [ajunt.] *detulisse, deinde in Asopo apparentes, ejectasque in agrum Sicyonium, Pastorem quendam eas sustulisse, & Apollini dedicasse.*

En Apollini dedicatæ Tibiæ Marsyæ! Apollini eidem, cui & Venabulum Meleagri! Meleagri Maximæ Ætolorum Gloriæ! Quid obstat igitur, quò minus utrumque, & Venabulum & Marsyæ Tibiam simul cum Apolline in Numismate Ætolorum fateamur? Non obstat Pileus, cùm hunc & Apollo numismatis Augusti præferat.

Eques Cyrenæorum subit, sub quo, ut non tantùm Equestrem peritiam, sed vel Apollinem ipsum, vel certè Regum aliquem Apollinis Sacerdotem agnoscam, me pronum esse dixi. Fateor conjecturam de Apolline forsitan fragili insistere fundamento, & libens Tecum vel Battum Cyrenæorum Conditorem ac Regem, aut unum ex Battiadis ejus Posteris, peregrè & ad agones Equestres proficiscentem fatebor; Ipse enim non tam Apollinem, quàm Regum aliquem, sed Solis sacerdotem credebam, eò, ut Tibi quidem videtur, nimius, quòd ob Petasum & sidus, ad Apollinem respexi, cùm sine Apollinis respectu, nudus in sole Equitantium habitus rem conficere potuisset, idque eò magis, quòd Apollo ἵππιος apud veteres non legatur, imò potius apud *Sextum Empiricum* Equus Apollini, maximè Didymæo, invisus fuisse legatur.

De Apolline ἱππίῳ infra videbimus. Ad Sexti assertum, quomodo Equus Apollini negari possit, non video, Actiis certè in certaminibus, etiam *certamen equestre Apollini dicatum* STEPHANUS BYZANTINUS (a.) docet. Taceo Equum Soli

(a.) *sub voce* Ἄκτιον.

Soli ſacratum, quamvis Solem cum Apolline eundem vulgò ſtatvant, & juxta meminerim, non de quovis Apolline, ſed de Solis Auriga in conjectura me locutum eſſe: Taceo MACROBIUM, qui Apollinem Didymæum inde id cognominis ſortitum arbitratur, quod geminum præferat ſpeciem, & ipſe illuminando, & etiam formando Lunam: quâ ratione planum eſſet, nominatim hunc Didymæum Antiquis Solem fuiſſe; Taceo Numiſma Gallieni, in quo Centaurus, qui ex infero Equo, ut cum *Lipſio* loquar, & ſupero homine formabatur, & ita equitem potius, quàm figmentum denotare videri poſſet, APOLLINI CONS. AUG. inſcribitur.

Sed Unum tacere non poſſum. Licet Ἀπόλλων ἵππιος hactenus apud Veteres non apparuerit, dicitur tamen ἱπποκορυστὴς in *Epigrammatibus Græcorum* (a.) quod Latinè *Equeſtris Bellator*, qui armato equo pugnam init, *Scapulæ* vertitur.

Equidem *Suida* docente ἵππος in compoſitione interdum pro *magno* ponitur; Sed apud HOMERUM (b.) ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ *Viri Equites galeati*, & Μήονες ἱπποκορυσταὶ *Meones Equis armatis utentes*, Viris non contemnendæ doctrinæ explicantur. Iisdemque ſuffragatur & EUSTATHIUS (b.) cujus hæc ſunt. ἐστὶν ἱπποκορυστὴς ὁ καὶ ἱπποχάρμης, ἤγουν ὁ ἱππότης πολεμιστής, ut ita nullum dubium mihi videatur reſtare, quin Apollo antiquitùs, ſi non *eques*, tamen quod magis eſt, *Eques Bellator* audierit, ſatis firmo argumento, non tantùm non equos, ſed ne bellum quidem ei odio fuiſſe, quod poſterius etiam innuere videntur & Thorax & velamentum gorgoneum, ſimul cum haſta & victoriola, quæ *MACROBIO* (d.) teſte apud Hieropolitanos Barbatus Apollo præferebat.

Hæc cùm ita ſint, non opinor mihi vitio dabitur, quod Equitem

(a.) *Lib. I. c.38. n.12.* (b.) *Il. l.2. v.1. & Lib.10. v.431.* (c.) *ad Lib. II. Iliad v.1.* (d.) *Saturn. l. I. c.17.*

tem Numiſmatis Cyrenæorum ex appoſito Solis ſidere, petaſoque, in Apollinis ſimulacris jam viſo, ipſum Apollinem eſſe poſſe conjecerim, de cætero facilè deſcenſurus, ſi aliquis non hunc, ſed ejus cultorem ſtatuere voluerit. Sive enim quendam ad ludos, ſive ad bellum proficiſcentem agnoſcamus, ſub favore Apollinis tamen eum proficiſci, perſuadebit Sol à tergo fulgens, proindeque, ſivè Battus is ſit, ſive aliquis ex Battiadarum familia, tamen & juxta planum erit, etiam Apollinis cultorem fuiſſe, quo uſque conjecturæ meæ locum arbitror eſſe poſſe, cùm propius ſit, ſub aſtro in numiſmate expreſſo Numen, quod genti ſanctiſſimum fuit, quàm nudum Solis corpus deſignatum credere.

His ita deductis, forſitan quis exſpectaverit, quid de aſſerto *Sexti Empirici* judicem? Si quod ſentio fari licet, vereor, ne idem ei obvenerit, quod alibi *Phurnuto*, qui etiam Corvum à Phœbo alienum ſtatuere auſus eſt, cùm tamen ſacer hic *Tripodum Cuſtos* vel centenis documentis Apollini vindicetur.

Certè, ſi aliquod ad mentem *Sexti* contra equos Apollinis odium fuiſſet, ſequeretur, nec Cyrenæos, utpote Equeſtris rei ſtudioſiſſimos id Numinis cum gratia colere potuiſſe, nec Apollinem ipſum Regionem ſuâ tutelâ fuiſſe dignaturum, quam διώξιππον, ut eam *PINDARUS* (a) vocat, vel ut *STRABO* (b.) ἱπποτρόφον ἀρίστην *optimam Equorum nutricem* noverat.

Succedit conjectura de Amazone vel Pallade in Amiſenorum Numiſmate, prout mihi videtur, expreſſa. Agnoſcis Amiſenorum à Mileto & Athenis originem: Agnoſcis Bellerophontis cum Amazonibus pugnam, quarum altera Palladi, altera & Amazoni favet. Unica videtur obſtare Galea, quam STRABO ex

(a) *Pyth. od, 9. pr.* (b.) *Lib. XVII. geogr.*

ex pellibus ferarum, HESYCHIUS ex Leonis exuviis Amazonibus fuiſſe, teſtantur.

Antiquiſſimis Temporibus ferarum exuvias loco caſſidis fuiſſe, varia gentium exempla evincunt, uti videre eſt apud *ALEXANDRUM ab ALEXANDRO* (a.) Cùm autem illæ exuviæ ſubſequentibus ætatibus in Caſſides æreas paullatim degeneraverint, adeò, ut ſub Trojanum bellum mixtus earum uſus fuerit, quod vel inde colligo, quòd *HOMERO* non tantùm κόρυς χαλκείη *Caſſis ærea* memoratur, (b) ſed etiam κυνέη ῥινȣ ποιητὴ *galea pelle facta* (c) Cùm itidem poſt Trojanum bellum, ad Alexandrum Magnum uſque, Amazonum gens duraverit, facilis, ut arbitror, erit cum *STRABONE & HESYCHIO* concordia, ſi dicamus, eos de antiquiſſimis temporibus locutos, galeam autem æream, quæ in nummo viſitur, ea tempora reſpicere, quibus animalium exuviæ jam in æreas caſſides fuerant mutatæ. Thyatirenorum numiſma



quod *JLL. PATINUS* protulit in Theſauro & ſuo & Maurocceno. Imò & Lampas Amazonum.

quam

(a.) *Gen. Dom. lib. 1. c. 20.* (b.) *Il. M. v. 184. & Γ. v. 398.* (c.) *Il. K. v. 261.*



qvam *Fortunius LICETUS* exhibet, Româ sibi transmissam, conjecturam egregie juvant: In Numismate cernimus Amazonem Galeâ, non tantùm ærea, sed etiam cristatâ insignem: In lampade Galeæ duæ, altera cristata habentur, altera sine cristâ: Utrinqve Amazones ex bipenni & Pelta agnoscimus, Galeis non futile argumentum suppeditantibus, ea tempora has reliquias concernere, quibus Galeæ pelliceæ in æreas jam fuerant mutatæ, eâ tamen cum differentia, quòd Lampas ea videatur adumbrare, quibus cristæ Galeis promiscuè vel aberant, vel appositæ fulgebant, cum Numisma eorum tantùm testis sit, quibus cristæ galeis affigebantur, Adeò ut his præmissis nihil obstet, quô minus & in Numismate Amisenorum Amazonem Galeâ æreâ tectam affirmem,

& ad ea Tempora reducam, quibus Galeæ pelliceæ in æreas quidem abierant, cristis autem insignes nondum erant.

Hæc dum dico, nolim assertum, iisdem temporibus etiam Numisma percussum esse, cùm sciam, cò Antiquitatis hæc κειμήλια rarò pertingere; Sed tamen nec ultra Augusti tempora id rejecerim; quamquam enim constet, Amisenos ab Augusto libertate donatos fuisse, eamq; suam felicitatem variis numismatibus testatam fecisse: Quamquam etiam negari non possit, Equos & boves pascentes, tranquillitatem & Pacata tempora designare; Tamen cùm Amiseni eam felicitatem ut plurimum ipsâ etiam inscriptione notârint, quod in proposito nummo non factum: cùm insuper non equus nudus, sed *eqvus alatus* seu *Pegasus* in nummo radiet, nescio, an ratio hæc ab opinione meâ de Bellerophonte & Amazone me deturbare debeat; Si enim rationem quæram, cur boves & Equi pascentes pacata tempora designent? video equidem habitum pascentis, non autem cujuscunque animalis, sed equi & bovis, eorumque fortasse, quorum præcipuus in re communi usus est. Et licet Equus alatus, etiam equus sit; talem tamen, qui utilitatem publicam provehere, proindeque naturale Tranqvillitatis & felicitatis symbolum esse possit, non video; Cùm enim fabulosus sit, vix eum pro symbolo tranquillitatis publicæ venditare potero, nisi conspirent & ea, quæ fabulosè de eo traduntur. Id cùm ad propositum Numisma fiat, fateri equidem possum, sub habitu pascentis tranquillitatem publicam designari, Bellerophontis autem contra Amazones pugnam ideò respici non debere, id est, quod fateri non possum. Utrumque videtur concurrere. Et cùm Galea, uti demonstratum arbitror, non amplius obstet, liberum, imò rationi consentaneum existimaverim, sub Galeato hujus Numismatis capite vel Amazonem agnoscere, patriæ vetustatis indicem, vel Minervam χαλινῖτιδα, cui


ob

ob Pegaſum ſibi adductum Bellerophon aram ſtatuiſſe apud *Pauſaniam* legitur. Idque eò magis, quòd ſub Minerva, etiam civitatis origo, uti jam ſæpè monitum eſt, adumbrata videri poſſit.

De forma Galeæ paucis addo, etiam hoc in Alexandri M. Numiſmate,



quod in Theſauro Electorali Brandenburgico aſſervatur eandem plane, quamvis minutam occurrere. Coincidit figura cum pileo Phrygum, quem in antiquis monumentis & Attys Cybeles Amaſius præfert, & in nummis ipſa Phrygia. Utrumque ſubjicio:



Illum ex Schedis *PIGHII* MSC. Hunc ex Numiſmate *HADRIANI.* Utrinque forma eadem eſt, quæ & Galeæ Numiſmatis Amiſenorum, niſi quod hæc æneas habeat laminas, quibus malæ includuntur, totaque galea ſub mento religatur. Has ſub epitheto χαλκοπαρῆυ *Æneas malas habentis* ab Homero arbitror adumbratas, cùm Latinis dependentes ejusmodi laminas *bucculas* dictas, quòd buccas tegant, *LIPSIUS* (a) obſervet, allegato præter alia & hoc *Juvenalis* :

Fractâ de caſſide buccula pendet.

Sed de his hactenus!

De Abderitarum Nummo origini à Tejis Tuâ operâ, ANTIQVARIORUM ILLUSTRISSIME vindicato, fortunæ gratulor & orbis Literati & Meæ; Ut tamen etiam hìc ad effundendum uberius Eruditionis Tuæ Nectar, occaſionem tibi præbeam, paucas aſpergam ſpicilegii mei reliquias.

Inſcriptionem ΕΠΙ ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ ut *ſub Jove ſiniſtro* aut *lævo* interpretarer, non tantùm ſuadebant allatæ in obſervationibus meis rationes, quamvis ex *A. GELLIO* (b.) Numina quædam vim nocendi habere didiciſſem, & inſuper illud *VIRGILII* (c.)

Numina læva ſinunt, auditque vocatus Apollo.

aſſertum juvare videretur; Sed etiam, & quidem potiſſimùm, quod *JUVENALIS* (d.) appoſitè ad meam mentem de Democrito caneret:

Prudentia monſtrat,
Summos poſſe viros & magna exempla daturos
Vervecum in Patria craſſoque ſub aere *naſci.*

Quid poterat magis ad rem videri dictum? Neque enim ſufficiens apparebat cauſa, cur ab infauſto nomine debuerint abſtinere Abderitæ, cùm à Vejove infauſto Numine non abſtinue

rint

(a.) *De militia Rom.* (b.) *l. 5. c. 12.* (c.) *Georg. IV, v. 7.* (d.) *Sat. VI.*

rint Romani? Imò nec ab Hieroglyphicis infelicitatis suæ testibus Agrigentini, si conjectura fidem mereatur, quâ sequentes numismatis Aquilas Leporem discerpentes



ad interitum urbis retuli, binis Carthaginensium castris, *DIODORO* (a,) teste, maturatum. Scilicet finis spectandus videbatur: In cultu Numinum Lævorum, *A. GELLIO* teste, ne nocerent: In Numismate Agrigentinorum, ut cives præteritæ infelicitatis memoriâ ad frugem incitarentur: In Abderitarum, ut Publicæ famæ iniquitas eô inventô aliquantisper molliretur.

Equidem facilè concesserim, solam facetam illam *LUCIANI* de Abderitis Historiam, atque adeò casum singularem Numismati feriundo causam non fuisse; sed tamen mihi, opinor, vicissim dabitur, eum casum non tantùm esse indicem aeris non usque adeò temperati, sed etiam sinistram de intemperie illa famam immane quantum auxisse, quæ proinde non temporaria videbitur, cùm tantas radices circumfuderit, ut etiam Proverbio locum fecerit.

Hæc utut se habeant, *DOMINE*, tamen is non sum, qui mihi aliquid tribuam. Video conjecturam subrui vel unico illo, quem in medium producis, inscribendorum Numismatum more; Eo enim Prætorum passim & Præsidum nominibus, non autem Deorum illud ΕΠΙ præponi solere agnosco, in-

 deque

(a.) *l. 13. p. 376.*

deque juncta voce ΕΠΙΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ libenter Tecum legerem, si Epidio Laji filio, vel unicum aliud Græcorum monumentum lucem affunderet. *Epidii* Gens Romana fuére, id quod vel ex *Inscriptione Gruteriana* patet:

DIS MANIBUS
M. EPIDIO PAMPHILO
FEC. ET SIBI
EPIDIA CHRYSIS
CONIUNX ET
M. EPIDIUS AUCTUS
ET EPIDIA TERTULLA
PARENTI BENEMERENT.

ut taceam *Epidium Marullum*, qvi sub Cæsare, *SUETONIO*(a.) Authore, Tr. Pl. fuit, aliosque. Equidem non diffiteor, posse vel ex hac familia aliquem in Græciam vicinamque Thraciam nomen intulisse: Posse etiam Græcum quendam Epidium familiam Romanam stabilivisse, adeòque Virum ejus nominis apud Abderitas in honore vixisse; Attamen ne omninò calculum meum apponam, facit Numisma Cimeliarchii Electoralis, licet non omnibus indubitatæ antiquitatis notis illustre, tale tamen, ut ad minimum antiqui ectypon credi debeat. In eo illud ΕΠΙ non minus legitur ac in Golzianis, adjuncta autem nomina non ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ, sed ΠΥΘΟΛ - - - - habent, unde conjectura subiit annon illud ΕΠΙ etiam in nummis Golzianis separatum legi debeat? Annon in vocibus ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ fortè ob literarum obscuritatem & convenientiam erratum fuerit, eorumque loco ΠΥΘΟΛΑΟΥ, aut simile quid legi debeat? Sed hæc, cùm in duobus nummis error prosumendus non sit, mera conjectura sunt, ad conspectum vel genuini nummi, vel etiam indubitatæ Sententiæ facile ruitura; Indicare tamen volui, ut ulterior inquirendi occasio nasceretur.

Quod

Quod in fine de Tenediorum nummo memoras, ad claritatem ejus & opportunum eſt, & profundæ, ut omnia, eruditionis. Mihi, quòd ratio capitis bifrontis *in Theſauro Palatino* à me producta, & ex veteribus dilucidata, eruditis jam conſtare videretur, nec de eo nummo præcipuè agerem, ſed rationem illam capitis bifrontis tantùm, ad evincendum rationem capitis bifrontis in Jano, adducerem, nec locus videbatur pluribus de ea ſcribendi, nec etiam inſtituti ratio prolixitatem admittere.

Hæc ad eruditiſſimam, quâ me dignatus es, reſpondere viſum eſt Epiſtolam: non alium in finem, *PATRONE GLORIOSE* quàm ut Nobiliſſimum Tuum calamum, quod ab initio profeſſus ſum, ad κειμήλια hæc ulterius dilucidanda inducerem, officiumque Orbi Literato, quod meis Viribus non potui, ſaltem Tuo munere præſtarem. Faxit Deus, ut diu Superſtes valeas, MAGNUM DILECTISSIMÆ PATRIÆ COLUMEN! ÆTERNUM ELEGANTIORIS LITERATURÆ & DECUS & PRÆSIDIUM!





Eximio Præstantissimoqve Viro, LAURENTIO BEGERO,

Consiliario Electorali Brandenburgico, ab Antiquitatibus & Bibliotheca,

S. D. E. Spanhemius.

NON tanti erant, quæ ad ingeniosas Observationes & Conjecturas tuas obiter notaveram, ut illa effuse adeo ac blande, in limine superioris Tuæ ad me Epistolæ, commendares. Neque enim aliud mihi tum insedit, quam ut factum à me, quod petieras, lectum nempe novum illud ingenii tui & ἀγχινοίας haud vulgaris specimen, tibi

continuo adprobarem; ac ſimul de iis, quæ dubiæ aut diverſæ notationi viam commonſtrare videbantur, paucis & amice tecum agerem. Quod gratulor eum apud te locum habuiſſe, ut & vera officii mei ratio tibi conſtaret, & ſimul de iis ſtatuendi, libera tibi, quod omnino decuit, ac plena facultas, haud minus relinqueretur. Quam viam utiqve inſiſterent, quicunque præclara hæc elegantioris antiquitatis κειμήλια *illuſtrare adgrediuntur; ac ad ea verſanda & explananda omnem ingenii & eruditionis ſuæ aciem intendunt. Idque eo magis decuit, quod eadem ſtudia, non ſolum in magna litterarum varietate, ſed præterea in recondita ſæpius nec ante eruta veteris hujus elegantiæ penu verſentur; nihil mirum ſit proinde aut alienum, ſi non continuo eadem de iis ſentiant, qui ad ea animum & curas conferunt; & variis etiam, iisque adverſis ſubinde de una re conjecturis, ab iisdem locus detur. Quod ut non ſolum, absque omni vitiligandi aut inſectandi quempiam lubidine, ſed grata etiam & decori ubique ac honeſti memori & ſtudioſa mente fiat, efflagitant omnino dictæ ab humanitate litteræ; manſuetis proinde ſententiarum divortiis, non vero acerbis animorum contentionibus pertractandæ. Id proinde à te continuo factum lecta tua ad me Epiſtola, lubens percepi; ut ſimul ea, de quibus opportune, uti exiſtimas, monueram, probari tibi haud invitus concederes, ea vero, de quibus adſenſum adhuc tuum cohibendum putaſti, tuisque Conjecturis inhærendum, novis tibicinibus erudite ac ingenioſe fulcires. Quod vero in iis denuo te ad meum arbitrium refers, eaque ſimul mihi tribuis, quæ ego, ut Tullianis utar verbis,*

bis,

bis, non agnoſco nec poſtulo, id omne a tua erga me voluntate ſtudioque profectum, reputare unice debeo. Noſti enim, quam feliciori fato ac ſorte defungi talibus poſſint, quibus æra illa antiqua ac erudita, nocturna diurnaque, quæ felicitas etiam & conditio tibi dudum meritisſime obtigit, verſare, expendere, librare conceſſum; quam ii, in quorum ego numero ac cenſu, qui nullo privato veteris hujusce elegantiæ peculio aut credita aliunde ejus cuſtodia inſtructi vel adjuti, aliis præterea curis diſtracti, ad ea ſolum, eaque multis intermiſſa temporibus, ubi otium ſuppetit quandoque & occaſio, oculos & animum advertunt. Quamquam illud quod à me iterum & blande contendis, officium, præſtare tibi eo magis debeam, quod ſemel judicium meum de Conjecturis aliquot tuis, tuo ſuaſu, tulerim; ac proinde quid de iis, quæ a te eam in rem ſuperiori tua ad me Epiſtola adnotaſti, meo quidem arbitratu ſtatuendum videatur, declarare ulterius, te annuente non ſolum, ſed rogante liceat.

I. De nummo ÆTOLORUM, & figura cum Petaſo &c.

AC primum quidem Ætolorum nummum quod adtinet, à te e Goltzio in Obſervationum tuarum fronte prolatum, in quo Petaſo munitum Apollinem ſignari exiſtimas, id obiter inde firmari poſſe monueram, quod Ἀγρευτὴς ſeu Venator Apollo dictus olim à Sophocle fuerit, addo & Ἄγριος ab Orpheo; Venatorum autem, ſicuti Agricolarum opus ruri facientium, aut Piſcatorum geſtamen adverſus Solis ardores vulgo eſſet Petaſus; ſicuti iter facientium; unde petaſo tectus in monumentis antiquis Ἐνόδιος ſeu Viæ Dux Mercurius, aut Pi-

Hymn. in Apollin.

pileatus in iisdem Vlysses. Quæ opportune, & ad aliquam non solum petasati illius, uti existimas, Apollinis, iisque in nummis, quos ad Apri Calydonii Venationem ipsemet referebas, sed ad petaso etiam muniti Equitis in Cyrenæorum nummo a te ibidem prolato, lucem ac illustrationem spectare mihi videbantur. Unde quod præterea observo, non Dianæ solum Ἀγροτέρᾳ, *sed Apollini etiam, juxta Panem, Nymphas & Mercurium, sacra a Venatoribus facienda, monet eleganti de Venatione libello Arrianus.* (cap. XXXV.) *Neque tamen eadem continuo, quod arbitraris, Apollinis* Ἀγυιέως *appellati, quæ Mercurii* Ἐνοδίου *ratio. Dictus enim* Ἐνόδιος *hic Majæ filius, qui vulgo in triviis, quod notat vetus*[(a)] *Epigramma (haud aliter ac*[(b)] Ἐνοδία *olim Hecate,*[(c)] Τριοδίτης *inde etiam, aut*[(d)] Θεὸς ἐν τριόδοις *nuncupata) tanquam Viatorum nempe seu iter facientium Dux & Præses, statuebatur; & quo nomine idem* Ὅδιος *juxta Hesychium, aut* Ἡγεμόνιος *Athenis, sicut mihi ex*[(e)] *Aristophane liquet, cultus. Unde utrumque* Ἑρμοῦ Ἐνοδίου καὶ Ἡγεμονίου *elogium conjungi ab,*[(f)] *Arriano, libro modo laudato, videas; immo eundem* Ἐνόδιον *ira exæstuare apud*[(g)] *Theocritum, ubi Viatorem lædi a quopiam videt,*

Εἰκέν ὁδοῦ χατέοντ' ἀνήναιτό τις ὁδίτην

Si quis viæ indigum repellat viatorem.

ac unde, ut obiter fontem ejus rei mihi indicare liceat, inter leges Israelitis a Deo traditas, ut mittam a Mose eandem (Deter. XXXII. 1 2. 3.) *in rem tradita, retulit eam quoque Josephus,* (Antiq. l. IV. c. V. p. 127.) μηνύειν δὲ καὶ τὰς ὁδοὺς ἀγνοοῦσιν, viam etiam ignorantibus commonstrare, *non autem, per ludibrium eis aberrandi causam præbere. Ita & VIACUS dictus in Antiqua Inscriptione apud Gruterum* (Thes. LV. 5.) *Mercurius, ac in veteri numismate,*

quod

(a) Ἑρμῆς τῇδ' ἕστηκα ἐν τριόδοις Anthol. l. IV. C. XIV. Ep. 3.
(b) Sophocl. Antig. v. 1213.
(c) Athen. l. VII. p. 325.
(d) Theocrit. Id. B. v. 36.
(e) in Pluto. p. III. οὐδὲ Ἑρμοῦ Ἐνοδίου καὶ Ἡγεμονίου c. XXXV.
(g) Id. κε v. 6.

quod ad Priapeia memorat Scaliger, idem ab una parte Petaso munitus, ab altera Viator cum pedo & cane insculptus traditur. Hinc Dii Semitales *in Virgilii Catalectis, observante ibidem* τῷ πάνυ, *de hoc* Ἐνοδίῳ *Mercurio &* Ἐνοδίᾳ *Hecate, aut Priapo etiam, quod aliunde notum, in compitis & triviis cultis; immo* Dii Viales, *de quibus Labeo alicubi apud Servium, aut* Viales Lares *apud Plautum; sicut* Vii *etiam* Dei, *in Epigrammate Fortunæ Prænestinæ, facta occurrit mentio. Apollo vero, quem memoras,* Ἀγυιεύς, Viis *tantum, ut de eo Macrobius loquitur,* præpositus urbanis, *ante fores privatarum ædium erigi in urbibus solitus; isque, non Mercurii instar Petasatus, sed Obelisci tantum seu Columnæ in acutum desinentis figura sacratus. Id aperte docent non solum veteres Grammatici, iique eruditi priscorum rituum Interpretes, Harpocration, Hesychius, Eustathius, Stephanus quoque Byz-antinus & antiqui ad Euripidis Phœnissas Critici, sed cum Rhetor Aristides in Smyrnæ Panegyrico, qui simul a levi mendo liberandus* ὁ ἢ δὴ περὶ θυρῶν κόσμος ἀντι Ἀπόλλωνος Ἀγυιέως, περπύλαιος τῇ πόλει, Μέλης ὁ ἐπώνυμος, Jam qui præ foribus ornatus, instar Apollinis Compitalitii, Orbi Vestibularis, Meles cognomine; *tum iisdem Auctoribus longe antiquior Comicorum Græcorum Venus,*

ad Æn. l. III. v.
Mercat. A. V. Sc. 2.
Vet. Epigr. lib. IV.
Saturn. l. I. cap. IX.
in Ἀγυιά.
in Ἀγυιεύς.
ad Iliad. B. p. 166.
in Ἀγυιά.
ad Phœn. v. 634.
in Smyrn. Orat. p. 401. Tom. I.

Ω δέσποτ' ἄναξ, γεῖτον Ἀγυιεῦ τῦ 'μῦ προθύρυ πρὸς
O Rex here, vicine Aguyeu pro foribus vestibuli hujus.

Aristophan. Vesp. p. 493. ed fol.

Plenius autem ad eundem Comicũ Critici, πρὸ τῶν θυρῶν ἔνθος εἶχος

 κίονας

κίονας εἰς ὀξὺ λήγοντας, ὡς ὀβελίσκους, ἱδρύειν εἰς τιμὴν Ἀπόλλωνος Ἀγυιέως; *mox*, Ἀγυιεὺς κίων εἰς ὀξὺ λήγων, ὃν ἱστᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν. ἰδίους δὲ αὐτοὺς φασὶν εἶναι Ἀπόλλωνος. οἱ δὲ Διονύσου, οἱ δὲ ἀμφοῖν; Ante fores intus habebant Columnas in acutum desinentes, tanquam Obeliscos statuerent in honorem Apollinis Aguyeos. *Idem*, A-

lib. IV. Od. VI

(guyeus, *ita enim Horatio etiam dicitur*) Columna in acutum desinens, quam erigunt ante fores; propriam autem dicunt esse Apollinis, quidam vero Bacchi, alii autem utriusque. *Quæ postrema etiam apud Harpocrationem legas; ac unde eadem, ut sæpe alibi, in eruditis ad Comicum Scholiis, desumpta videntur. Hinc vero Bachus, quod ob-*

Βάκχου περικιονίου. Hymn. Orph.

servo, dictus ab Orpheo περικιόνιος, *in eumque tali, quam modo vidimus, forma cultum, sacratus ab eodem, aut quicunque antiquus omnino eorum Hymnorum auctor, Pæan,* Κικλήσκω Βάκχον περικιόνιον, Invoco Bacchum

Demosth. adv. Midiam p. 392. ed. Basil.

Columellam *Ut proinde* Ἀγυιεὺς *Apollo, sic* Προστατήριος *Athenis itidem cultus, ac ut notant rursus veteres ad Sophoclem Critici,* ὅτι πρὸ τῶν θυρῶν ἵδρυται, quod ante fores

ad Electr. v. 640.

statueretur. *Unde sacra etiam huic* Ἀγυιεῖ, *aut iis, qui eodem nomine & ritu, qualis, ut modo vidimus, Bacchus, ante fores ædium facta, ubi adlatum foret faustum aliquod nuntium; sicuti hoc alibi notant iidem Græci ac valde eruditi Aristophanis Interpretes. Immo hinc invocatus ab iis, qui è longinquo itinere domum reduces, idem* Ἀγυιεὺς *Apollo; unde alicubi apud Plautum*

ἔθυον δὲ περὶ τῶν εὐαγγελίων, πρὸ τῶν πυλῶν &c. Schol. ad Equit. p. 361.

Bacchid. A. IV. Sc. I.

Herilis Patria Salve! quam ego bienno
Postquam hinc in Ephesum abii conspicio lubens.
Saluto te, vicine Apollo, qui ædibus
Propinquus nostris accolis, venerorque te.

Ne-

Neque enim alius ibi vicinus Apollo, *quam* Ἀγυιεὺς *dictus, ſicut animadvertit jam ad eum locum eruditisſimus Meurſius. Diſpar proinde, ut vides,* Ἐνοδίου *Mercurii & Ἀγυιέως Apollinis ratio; illius, de quo hic agitur petaſati, & propter viæ ac in triviis, tanquam Viatorum Ducis, ac ſolo interdum, ad indicandam iter facientibus viam, lapidum acervo ſacrati; hujus autem ante fores ædium, idque intra urbium pomœria, & quidem Obeliſci ſeu Columnæ in acutum deſinentis forma, in fauſti vel reditus vel nuntii ſignum, culti.*

Quod autem Synodum *in Inſcriptione Lanuvina dictum* Apollinem *e L. Gyraldo memoras, h.e. te interprete, & quidem juxta Heſychium,* συνοδοιπόρον, viæ *ſeu* itineris Comitem, *de eo ex ipſa Inſcriptione, de qua nihil aliud memorat Gyraldus, licuiſſet tibi aliquanto certius ſtatuere.* Synodi *quidem* Deum *dictum novi à Tertulliano in Apologetico, ſi vera* τὸ πάνυ *Salmaſii emendatio, Antinoum, non tamen ut viæ Comitem vel Ducem, ſed tanquam in* Synodum *ſeu* Collegium *magnorum Deorum adlectum: Sicuti nempe* Σύνοδος Μυστῶν *&* Σύνοδος Τεχνιτῶν, Collegium Myſtarum *& ſcenicorum* Artificum, *cum apud Gruterum, tum in duabus Inſcriptionibus Smyrnæis, una apud illuſtrem Cuperum,* Σύνοδος τῶν περὶ Βρισέα Διόνυσον Τεχνιτῶν καὶ Μυστῶν Synodus *ſeu* Collegium *ſcenicorum* Artificum & Myſtarum circa Bacchum Bryſeum; *altera apud Cl. Sponium, in qua inter alia itidem legitur,* Συνόδῳ τῶν περὶ Βρισέα Διόνυσον, *ac in fine* Συνόδῳ τῶν ἐν Σμύρνῃ Μυστῶν Synodo Myſtarum Smyrnæ. *Nec ignota* Ξυστικὴ Σύνοδος, Collegium Xyſticum *ſeu Athletarum, ſicut ea haud ſemel occurrit in Inſcri-*

ad Hiſtor. Aug. p. 78.

Monum. Antiq. add. p. 287.

Miſc. Antiq. p. 354.

ſcriptionibus aliquot Athleticis, non in Theſauro ſolum Gruteri ſed aliis inſuper, quæ a me olim ad ipſos Lapides Romæ tum repertos eorumque aliquos jam laceratos ac mutilos opportune deſcriptæ, ac inde a nobiliſſimo amiciſſimoque Falconerio, qui aliquod etiam hic mihi bene-
Inſcr. Athlet, p. 97. *ficium imputat, editæ poſtea fuerunt ac illuſtratæ. Sic etiam* Σύνοδος τῶν Τυρίων Ἐμπόρων καὶ Ναυκλήρων, Collegium Tyriorum Mercatorum & Naviculariorum, *in Inſula nempe Delo degentium, in alio præclaro & antiquo marmore a-*
Miſc. Antiq. p. 345. *pud laudatum modo Sponium, viſitur. Quæ utique conſueta vocis illius* Synodi *ſeu* Συνόδου, *in antiquis lapidibus, ſignificatio, & ab ea proinde, quam Inſcriptioni illi, cujus obiter Gyraldus meminit, tribuis, haud parum ut vides, aliena. Sed hoc ſcripſeram, quum inſpecto poſtea Gruteri Theſauro, eandem Inſcriptionem Lanuvinam a L. Gyraldo obiter memoratam, ibi opportune reperi, quæ hiſce a me modo dictis omnino ſuffragatur. Ea e-*
Theſ. Gruteri CCCXXX. 3. *nim dicata cuidam M. AUR. LIB. AGILIO. SEPTENTRIONI. PANTOMIMO. SUI. TEMPORIS. PRIMO. SACERDOTI. SYNHODI APOLLINIS. PARASITO. ALUMNO. FAUSTINÆ &c. Quæ verba ita diſtinguenda ſunt omnino & explicanda, ut hic Agilius Pantomimus fuerit* Sacerdos Synodi, *Scenicorum nempe, ut erudite jam vidit* ὁ πάνυ *ad Hiſtoriam Auguſtam, quos, ſicuti & Xyſtas*
Salmas p. 39. *ſeu Athletas, ſua ſacra ac inde Pontifices ſuos & Sacerdotes habuiſſe, e commemoratis Inſcriptionibus abunde liquet; idem vero, quod præterea obſervo,* Apollinis Paraſitus *etiam fuerit, ſeu* Epulo. *Iſtud autem pro nota eruditis ac*
Athen. l. VI. p. 234. *ab Athenæo tradita veteri & ſancta hujus vocis* παρασίτου *ſigni-*

significatione, & quæ egregie illustrant indeque etiam lucem fœnerantur, non ea solum, quæ de Herculis apud Athenienses, aut de annuis constitutis ab iisdem in Delo Sacrorum consortibus Parasitis, ibidem memorat, sed quæ addit insuper, κἂν τοῖς τοῦ βασιλέως ἢ νόμοις γέγραπται, θύειν ΤΩ ΑΠΟΛΛΩΝΙ τοὺς Ἀχαρνέων ΠΑΡΑΣΙΤΟΥΣ, Regis (*sacrorum nempe*) leges imperant sacra facere APOLLINI Acharnensium PARASITOS. Ibidem.
Unde PARASITI APOLLINIS mentio fit in aliis duabus, quæ ibidem occurrunt apud Gruterum Inscriptionibus, & quarum altera plenior alibi apud eundem traditur. CCCXXX, 1. 2. MLXXXIX, 6. *Quo referri etiam debet, & qui inde itidem haud parum illustratur, ille Martialis de alio præstantissimo sui ævi Mimo versus,*

Vos me laurigeri Parasitum dicite Phœbi. l. IX. Ep. 29.

Neque vero audiendus in Ausonianis Lectionibus ὁ πάνυ, Scalig. lib. II, cap. 19. *qui quum eandem, de qua hic agitur, dicatam huic AGILIO Inscriptionem, aliamque insuper adtulisset,* Parasitum Apollinis *in iisdem, ac in adducto Martialis (non de Paride histrione, ut ibidem tradit Scaliger, sed de Latino Mimo) versu, de Mimis inde dictum demum putat, quod quemadmodum Parasiti ridiculi dicerentur, ita Mimi. Aliam enim antiquiorem & magis honorificam, hujus muneris his Pantomimis aut* [a] *Archimimis delati rationem, arguunt abunde, tum quæ ex Athenæo, apud quem plura ea de re leguntur, modo adtulimus; tum ipsum earundem Inscriptionum, & de quibus adhuc paullo post, ad laudem eorum & honorem unice dicatarum consilium ac institutum. Illud vero ex iisdem liquidum, nullum hic* Synodi Apollinis, *quod existimabas cognomen obversari, quod nec etiam agnovit, qui labo-*

a) Ita etiam dicuntur in Inscriptione a Scaligero ibidem adlata, & Thes. Grut. CCCXXX, 2.

riosos Thesauri ejusdem Indices, ut notum, confecit idem illustris Scaliger; quamquam in eo jure à Salmasio ad Hist. Aug. p. 39. *τοῦ πάνυ obiter reprehensus, quod voces illas hujus Inscriptionis* Synhodum Apollinis *simul junctas in Indice, (quo tamen non diversa equidem Apollinis, aut aliorum Deorum cognomina, sed eo quo varios Sacerdotum aut sacris Ministrantium nomenclationes recensentur,) posuerit. Id quod proinde non debuit nobilissimo Falconerio* Inscript. Athlet. p. 22. *negotium facessere, qui non videre se ait, cur Scaligerum notaverit Salmasius, nec assequi quid iste voluerit; neque aliud innuisse Scaligerum, nisi eam SYNHODUM, cujus in hoc, de quo agitur lapide, sit mentio, ab APPOLLINE denominari. Verum neutiquam plane, quod superiora abunde arguunt, ad Apollinem respicit ibi vox* Synhodi; *nec ab eo ullatenus ibi denominata; adeo ut jure in Scaligero notaverit Salmasius, quod eas voces, quasi ibidem junctas, in Indicem retulerit. Neque enim ibi, quod τοῦ πάνυ sententiam adstruit omnino,* de Apollinis Synodo, *sed de illius* Parasito *agebatur; & id* Thes. cccxxx. 1. 2. *Scaligerum duæ proximæ, quæ eadem apud Gruterum pagina memorantur inscriptiones, & quas opportune idem in sequentem Indicem congessit, sub vocibus* Parasitus Apollinis, *docere continuo potuerunt. Immo quod extra omne dubium ponit, si aliquod hic, ubi nullus omnino ei locus, dubium superesse potuisset, alia Inscriptio Prænestina eidem AGILIO, cui superior, dicata, quam e Suaresii, ut in margine notat, Antiquitatibus Prænestinis in idem laudatum modo opus, alibi retulit illustris* Inscript. Athl. p. 41. *Falconerius, Dedicatio nempe est Statuæ huic AGILIO, ut civi bene merito a Prænestinis positæ,*

ei-

eique rursus tanquam PANTOMIMO SUI TEMPORIS PRIMO, ac præterea, ut in eadem legitur ac distinguitur,

PARASITO. APOLLINIS
ARCHIEREI. SYNODI. &c.

cum iisdem proinde, quæ illi in superiori Inscriptione a te post Gyraldum memorata, tribuuntur, munerum aut dignitatum titulis, nisi quod ibi latina voce Sacerdos, hic Græca Archiereus Synodi, Scenicorum nempe, ante autem Parasitus Apollinis similiter dicatur. E quibus utique, & luce quidem meridiana clarius liquet, haud attente satis ab eruditissimo alioquin L. Gyraldo id traditum; dum ex commemorata Inscriptione, Synhodum inter Apollinis cognomina memorat; multo minus ullum, quod inde colligebas, συνοδοιπόρῳ ceu viæ comiti Apollini locum ibidem relinqui.

Quum autem figuram stantem de qua hic agitur, cum appenso a tergo Petaso, & in Ætolorum nummo apud Goltzium a te inde producto, obviam, Apollini tribuisses, ne idem continuo statuerem, illud obstare obiter monui, quod non λόγχῃ solum seu Hasta armatus, quod infrequens esset hujus Dei symbolum, sed Gladio præterea ceu Pugione cinctus ibidem videretur. Hastam quidem quod adtinet, eadem vulgo armati,
quod monuit pridem Justinus, & obvium in Statuis lib. XLIII, 3.
aut Nummis, qui supersunt, antiquis, cœlestes Gen- (a) Od. VI, Ol. p. 52
tium Dii, uno forte Apolline excepto, qui tanquam (b) Od. IX, Pyth. p. 299.
Arcitenens, seu [a] τοξοφόρος & [b] Ευρυφαρέτρας inde a (c) Trachin. v. 212.
Pindaro, a Sophocle [c] Ευφαρέτρας dictus, Arcu proinde (d) Eurip. Alcest. v. 271.
& Sagittis; aut vero tanquam [d] Ευλύρας vel [e] χρυσολύρας (e) Orph. H. in Apoll.

Citha-

Citharœdico proinde habitu, & cum Cithara ceu Lyra ac Plectro, nuspiam autem Hasta munitus, quantum equidem memoria teneo, in iisdem monumentis visitur. Unde etiam pro Triplici Dei ejus potestate, tria tantum ejus insignia commemorat ad Virgilium Servius, Lyram nempe, Gryphinæum (quod ad Gryphum, de quo infra Apollini sacrum refero,) & Sagittas. Callimachus autem Citharam & Arcum, sola Apollinis arma agnoscit,

Ad. Eclog. V, v. 66.

Hym. in Apoll. v. 19.

Ἢ κίθαριν ἢ τόξα Λυκώρεως ἔντεα Φοίβου,

Aut Citharum aut Arcus Lycorei arma Phœbi.

Hinc duo solum Hastati *apud Græcos (nullus enim hic Hierapolitarum Syrorum, de quo infra, Apollini locus) seu* λογχοφόρου *Apollinis notata mihi e veteri, non quidem Nummorum sed Auctorum penu, exempla indicaveram; unum Amyclæi Apollinis apud Laconas signum, non Petaso, teste Pausania, sed Galea tecti, ejusdemque* λόγχῃ *seu Hasta & Arcu simul armati, cætera autem, quod ibidem legitur, præter os, manus & pedes,* æneæ Columnæ similis, τὸ λοιπὸν χαλκῷ εἰκόνι δὲ εἰκασμένον; *ut postremum hoc in Apollinis, quod jam vidimus, cultu haud insolitum obiter moneam. Alterum quod e Plutarcho retuleram, solos ferme Megarenses, & quo nomine iidem ab eo culpantur, ejectis ab Urbe Atheniensibus, Hastatum Delphis Apollinem statuisse, eosdem tamen postea, notis Apollinis Symbolis obsecutos, aureum Deo Plectrum dedicavisse. Sed locum ipsum rei illius indicem, & ne quidquam de meo largiri videar, adscribere hic non pigebit;* αἰτιῶμαι δὲ Μεγαρεῖς ὅτι ΜΟΝΟΙ σχεδὸν ἐνταῦθα ΛΟΓΧΗΝ ἔχοντα τὸν ΘΕΟΝ ἔστησαν ἀπὸ τῆς μάχης, ἣν Ἀθηναίους μετὰ τὰ

ἔχει δὲ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ κράνος, λόγχην δὲ ἐν ταῖς χερσὶ καὶ τόξον lib. III, p. 191.

Pyth. Oracul. p. 402.

Περσικὰ

Περσικὰ τὴν πόλιν ἔχοντας αὐτῶν, νικήσαντες ἐξέβαλον, τῷ Θεῷ χρυσοῦν &c. Megarenſes autem culpo, quod SOLI FERME DEUM (n. *Apollinem*) Ibi HASTATUM poſuerunt, a pugna qua poſt bellum Perſicum, Athenienſes, qui Urbem ipſorum obtinebant, victos ejecerunt. *Poſt* quidem tempus, aureum Plectrum dedicaverunt, obtemperantes, ut apparet &c. *Adeo quidem ut tanquam alienum ab hoc Deo & inſolitum illud Megarenſium, in dicando primum Haſtato Apolline factum, commemorare videas ſimul & redarguere Plutarchum; & quo etiam graviſſimi Auctoris teſtimonio, præter alia ibidem a me adducta, minus probari mihi tuam de Apolline Haſta amato, & in Ætolorum quidem nummo, ſententiam, obiter indicaveram. Unde ipſe pro candore tuo judicium feres, an hoc eo modo a me traditum, tuæ illi opinioni, quam denuo is adſertum, ſuffra-» getur; aut ego, ut firmius eidem inſiſteres autor fue-» rim; idque eo magis, ut ibidem ais, quod Haſtam in » Apolline nihil novi eſſe, vel me docente intellexeris.*

Quamquam de Gladio aut Pugione, quo ad latus cinctus aut armatus videbatur in hac Ætolorum figura, & quade re nihil a te montium fuerat, ille, quem exiſtimas, Apollo, majus adhuc ſuboriri mihi dubium monueram. Inde nempe, quod cum Haſtati paſſim occurrant in monumentis, quæ adhuc proſtant, antiquis, cœleſtes Gentium Dii, uno forte excepto Apolline, in tanta tamen, quæ ſuperſunt etiamnum veterum id genus κειμηλίων *copia, nullum hactenus a me viſum meminerim, in quo ille Latonæ filius, aut reliqua etiam Gentium numina, Gladio cingantur. Quid vero adhuc in ſuperiori tua ad me Epiſtola reponis? Primo conſentire*

„te equidem posse, cum *Apollo* χρυσάωρ, aureo ense cinctus, „tam Homero quam Hesiodo & Pindaro memoretur. „Alterum, Gladium tibi non videri, qui ad latus figuræ, „quam Apollinem statuis, adponitur, utpote, longiorem, „quam ut priscus Gladius credi possit; adeo etiam „ut in simili Electoralis hujus Cimeliarchii, quem inde „profers, Ætolorum nummo, totius figuræ dimidiam „longitutinem exæquet, & ad hastam usque pertin„gatur; cuspidem præterea, non, ut solet, retro ter„gum uersus, sed inverso modo versus hastam vergere. Tandem haud unis interrogationibus, ac adductis e Plutarcho, Diodoro, ac Pausania imprimis, & quo postremo potissimum niteris, testimoniis, non Gladium sed Tibiam esse, eamque quæ Marsyæ prius fuerat, Apollini dicatam, evincere, immo extra omnem dubii aleam ponere satagis. Quæ sicuti ingeniose ac industrie a te adnotata lubens equidem video, ita an adsensum continuo impetrent vel exigant, nullisque laborent incommodis, tu ipse lectis & expensis, quæ de iis monenda mihi occurrent, pro singulari tua ἀγχινοίᾳ ac fide statues, præstantissime BEGERE.

As primum quod spectat, seu Apollinem χρυσάορα a Poëtis olim antiquis, Homero, Hesiodo ac Pindaro, adde etiam ab Apollonio Rhodio dictum, idque non solum, juxta Latinos eorum Interpretes, sed antiquiores iis Grammaticos, aureo Ense armatum & cinctum, notum utique & compertum. Quamquam haud ignotæ sint etiam aliæ veterum Criticorum de hac voce explicationes, quæ nempe χρυσάορα vel χρυσάορον

Argon. l. III, v. 182.

Apol-

Apollinem, *non* Ensigerum, *sed ab* aureo *Citharæ quam gestabat* loro; *aut vero pro* Sole *ita dictum statuunt*, *cui Auri metallum sit dicatum. Prius tradunt aperte brevia & antiqua, quæ Didymo vulgo tribuuntur, ad Homerum Scholia, ubi Apollo se ipsum apud Poëtam indigitaverat*, φοῖβον Ἀπόλλωνα χρυσάορα; *nempe ab Apolline Mercurium accepisse fatidicam virgam, Apollinem vero a Mercurio Lyram*, ὅθεν καὶ χρυσάωρ ὠνομάσθη ἀπὸ τοῦ τῆς κιθάρας ἀορτῆρος, unde & χρυσάωρ vocatus est a Citharæ loro, *a quo eadem pendet; adduntque insuper in explicatione ejusdem vocis* χρυσαόρου, *ita dictum Apollinem*, vel cum Ense aureo, vel aureum Pharetræ aut Citharæ lorum gestantem, NON VERO GLADII; purus enim est (*a cæde scilicet*) hic Deus, χρυσοῦν τὸν ἀορτῆρα τῆς φαρέτρας, ἢ τῆς κιθάρας ἔχοντα; ΟΥΚ ΕΤΙ ΔΕ ΞΙΦΟΥΣ; Ἁγνὸς γὰρ ὁ θεός. *Quæ postrema abunde utique arguunt, quam potiorem e duabus illis, quas tradunt hujus vocis significationibus, Apollini couvenire existiment, iidem veteres & eruditi Critici. De eadem vero* χρυσάορος *appellatione, Apollini tanquam* Soli *tributa consuli potest, Criticorum in hoc genere princeps Hesychius, qui utramque illam* Citharæ & Solis *in hac voce agnoscit*, χρυσάωρ, χρυσοήλιος, χρυσοκίθαρις; *tum qui id de Hesiodo nominatim, observat* (a) *Eustathius, ac ad eundem Poëtam Moschopulus* (b) χρυσάορα ἤγουν τὸν Ἥλιον, τὸν χρυσοειδεῖς ἀκτῖνας ἔχοντα, *h. e.* χρυσάορα, nempe Solem auri specie radios habentem. *Immo unde Hesychio* χρυσάωρ, χρυσοήλιος, *etiam redditur; & quo referri insuper videas, quod* (c) χρυσοκόμαν, (d) χρυσοχαίταν, *aut vero* (e) χρυσότοξον *eundem dixerint antiqui Poëtæ, Pindarus inprimis ac Orpheus, & prius etiam in alterius veteris Poëte* ver-

ad Iliad. Ο. v. 255.

(a) Ἡσίοδος μέντοι δαιμόνιον, ὅ ἐστι ἕτερον τὸν χρυσάορον &c. ad Schol. Θ. p. 1014.
(b) ad Hesiod. Ἡμερ. v. 7.
(c) Ol. VI, Od. & VII. & Orph. H. in Apoll.
(d) Od. Pyth. II.
(e) Ol. XIV, Od.

versu apud Aristotelem legitur, χρυσοκόμα παῖ Διός, Aurea coma fili Jovis. *Quo sensu* χρυσότοξον, *seu cum* Arcu Aureo *dictum eundem Deum, vel unus docere potest Euripides,*
Hercul. Fur. v. 858. *apud quem* τόξα ἡλίου, Solis radii, *appellantur. Immo hinc Apollinem statim a Latonæ partu* χρυσάορα *vocat Hymnus Homero tributus, & quem recens natum non lactaret Mater, sed cui continuo Nectar & Ambrosium præberet Themis. Mitto alias vocis illius significationes, quod nempe* ἄορας *alibi apud Homerum, non per* Enses *juxta Latinos Poëtæ Interpretes, sed per* Mulieres *aut vero, & opportuniori quidem loci illius sensu, per* Tripodas *explanent*
vid. Schol. Didym. ad Idyss. P. v. 222. *veteres ad Homerum Critici, ubi nempe de Ulysse mendico ac proinde frusta panis, non vero Tripodas aut Lebetes, nota Agonum apud antiquos præmia, petente, ait Poëta,*

Odyss. P. v. 222. Αἰτίζων ἀκόλους, οὐκ ἄορας, οὐδὲ λέβητας

Petens frusta, non Tripodas aut Lebetes.

ad quem locum adiri possunt cum antiqua Scholia Didymo tributa, tum Eustathius, qui ad Mulieres *ibi hanc vocem refert, easque* ἄορας *vocari ab* ἀείρω quod est conjungo.
Ἄορες γυναῖκες λέγονται καὶ τρίποδες Hesych. *Hinc ab Hesychio* Ἄορες *non* Enses *solum, sed cum* Mulieres, *tum* Tripodes *etiam dicti; ac unde videas Apollinem opportune* χρυσάορα, *quasi* cum aureo Tripode *appellari, & cui sacrum juxta Citharam Tripodem vel Anacreon, pri-*
Od. LVII. *dem docuit*, ἱερὸν γὰρ ἐστι Φοίβου Κιθάρα, Δάφνη, Τρίπους τε, Est enim res sacra Phœbo, Cithara, Laurus & Tripus; & *Apollonius.*

Argon. l. IV. v. 529. Μισθὸν ἀειράμενοι Τρίποδα μέγαν Ἀπόλλωνος,

Mercedem adepti magnum Apollinis Tripodem.

Sed nihil opus omnino hisce Grammaticorum veterum scitis, quamquam haud omnino absonis, hic inniti, qui

ultro

ultro etiam obſervo, χρυσάορα *Apollinem ab eodem Vate dictum, quaſi* aureo Enſe armatum, & *quo nomine Deo illi ac Marti, Jaſonem Gladio circa humeros more veteri cinctum, ibidem comparat Apollonius. Quibus addere haud gravabor, quod apud Plutarchum legiſſe memini,* de Oracul. Defectu p. 433. *ſacrum exſtare apud Tarſenſes Cilicas, Apollinis gladium, qui nulla alia aqua quam Cydni ibi præterlabentis fluvii, tergi poſſit ac purgari. De eo autem, aut quo ſenſu* χρυσάωρ *dictus ſit Poëtis, ut vidimus, Apollo hic non vertitur; verum, quod unice monueram, an in nummis, qui ſuperſunt, aut antiquis lapidum monumentis, quæ publice etiamnum proſtant, idem Latonæ filius, aut alia etiam Gentium Numina, Enſe cincta conſpiciantur. De Apolline utique res, quantum equidem ſciam, hactenus liquida; neque ullum ejus moris vel alterius etiam Dei Enſe armati in nummis antiquis ſpecimen aut exemplum a te prolatum video. Quamquam, nequid diſſimulem, ac ut, quod ibi a me obiter traditum fuerat, paullo plenius exequar, uni quidem Marti Parazonium, quo non idem cingitur, ſed quod elata dextra ab eo teli inſtar geſtatur, in præclaris aliquot, non Græcorum quidem, quantum equidem norim, ſed Romanorum nummis tribui haud ignorem. Talis inter alios inſignis quidam nummus & e maximorum genere in Regia Gallorum Gaza ſub Severo cuſus, in quo Mars, dextra tale Parazonium ſeu latum Enſem, ſiniſtra Haſtam tenet, poſito ad pedes Clypeo. Unde etiam de Enſe, ut proprio Martis telo, ſicut Haſta Minervæ, Jovis Fulmine, Herculis Clava, Apollinis Sagitta, alicubi in Priapejis,*

Enſe potens Mars eſt, Haſta Minerva tua eſt;
Mox Fertur Apollinea miſſa Sagitta manu,

Neque vero videris ipse refragari, ut in antiquis nummis alienum ab Apollinis insignibus Gladium, mecum statuas. Ensem quippe vel ideo in hoc Ætolorum nummo, de quo agitur esse non posse contendis, quod quum breves fuerint olim, me obiter id monente, Græcorum Gladii, tu vero ex nummo Opuntiorum, in quo Figura nuda & galeata, cum brevi Gladio seu Pugione signatur, ulterius is adsertum; longius autem sit illud, quod in Ætolorum nummo visitur, quam ut priscus Gladius videri possit: Neque enim eundem ad brachium duntaxat sinistrum, uti ille in nummo apud Goltzium signatur, sed ad hastam usque pertingere in nummo Cimeliarchii Electoralis Brandenburgici, a te ibidem, ad rei illius fidem faciendam, prolato. Sed hæc rursus, quod te haud invito monere liceat, facile equidem diluuntur. Primo enim illud advertere oportuit, non breves fuisse, cui rei observatio illa tua innititur, Gladios omnes priscos; neque id a me in superiori ad te Epistola adsertum; qui dum obiter tantum & paucis verbis ea de re agerem, longos etiam Thracum Gladios exstitisse, vel ex Homero tradideram; breves autem vulgo Macedonum, Laconum, immo in genere Græcorum ante Iphicratem militum, teste in vita ejus Nepote. Neque ideo, priscos omnes Gladios, quod hic statuis, breves omnino, & Heroicis quidem temporibus, fuisse ibidem contendi. Nec soli etiam Thraces longis usi olim Gladiis, sed cum Græci ipsi Heroes ac Duces, tum Trojani ad Trojam depugnantes, teste vatum principe,

Καὶ

Καὶ ξίφεσιν μεγάλοισι καὶ ἔγχεσιν ἀμφιγύοισι; Iliad. O. v. 713

Et Ensibus magnis, & Hastis utrinque acutis.

Hinc & magnum Achilli Ensem alibi tribuit, ἂψ δ' ἐς κουλεὸν ὦσε μέγα ξίφος; Statim autem in vaginam protrudit magnum Ensem; *& Diomedi etiam, eique, ut aliunde notum Ætolo, & cum Aiace in ludis Patrocli funebribus decertanti, datum ab Achille præmium*, Iliad. A. v. 220

Αὐτὰρ Τυδείδῃ δῶκεν μέγα φάσγανον ἥρως, Iliad. Ψ. v. 824.

At Tydidi dedit magnum Ensem Heros.

Adeo quidem ut Heroicis illis temporibus, longos ceu magnos Enses in usu fuisse, abunde liqueat; iisque etiam appensos subinde Cultros seu Pugiones, quibus cædendis victimis Heroes illi, quod de ipso Regum Rege & Exercitus supremo Duce Agamemnone tradit idem Vatum parens,

Ἀτρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν, Iliad. Γ. v. 271.

Ἥ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο;

Atrides autem extrahens manibus Cultrum,

Qui ei ad Gladii magnam vaginam semper pendebat.

Unde ipse procul dubio agnosces, imbelle esse omnino, quo hic niteris, telum, quasi breves fuerint omnes veterum & Heroicorum etiam temporum Gladii, instar illius nempe Pugionis, seu ἐγχειριδίου *verius quam Ensis, quem Gladiator potius quam*[(a)] *Aiax, in Opuntiorum nummo, a te e Cimeliarchio Electorali prolato, manu intentat; ac proinde an priscus Gladius, quod statuebas, esse non possit, qui in Ætolorum nummo a Goltzio tradito signatur. Immo quæ manifesto arguunt, nihil hinc utique, ni alia vetant, obstare, quin Meleagro, Heroici temporis viro, eidemque Herculis ac Pelei socio, talis ejusmodi* Gla-

(a) Hard. de num. Ill. p. 371.

Gladius, qualem Goltzianum nummi, de quo agebatur, schema exhibet, tribui omnino possit; nihilque proinde in eo, præter clara veteris illorum temporum ritus vestigia ac documenta a me traditum. Quod autem id præterea fide nummi Cimeliarchii hujus Electoralis, in quo eadem figura longior quam apud Goltzium, & ad hastam usque pertendit, evincere nunc intendis, ut major eadem omnino sit, quam ut Gladius priscus credi possit, *hoc ipsum quam lubrico nitatur argumento tu ipse videas, amicissime BEGERE. Nummus enim ille, de quo ante in Observationibus tuis & merito quidem silueras, quamquam tibi, cui ejusdem Cimeliarchii custodia dudum meritissime credita, haud ignotus foret, & qui mihi etiam, te eundem exhibente, ad manus, dum hæc scribo, versatur, adulterinus omnino, nec prisci, te ultro id etiam agnoscente, commatis. Neque juvat, quod ad veteris ac genuini Ætolorum nummi typum effictum eundem arbitraris. Id enim ut non liquidum, ubi maxime talis, qui eum per omnia exprimat, antiquus non comparet, immo in quo ille priscus quem exhibet, Goltzius, & quem in limine tuarum Observationum, a te ibi explanandum, protuleras, ab eo recedit. Unde ipsemet pro tua in hisce peritia & usu haud vulgari statues, quam invalidum sit argumentum, nummo ejusmodi extra omne dubium novitio ac adulterino, a te etiam e Cimeliarchio Electorali cum aliis ejusdem notæ pro tali rejecto, uti hic pro clypeo; maxime ea in re, ubi ille alterius vere probi & antiqui fide haud nititur,*

sed

ſed in quo potius eidem aperte refragatur. Eundem vero hunc Ætolorum nummum exſtare ſcio in Gaza Medicea, unde a Viris præclaris, quos alit flos ille urbium, genuinum ejus ectypum conſequendi facultas forte dabitur; ac inde aliquanto certius ſtatuendi, an ideo Gladius eſ- „ſe non poſſit, quod luculenter a te oſtenſum exiſtimabas. Haud aliunde utique certior monumentis id genus antiquis lux & veritas conſtat, quam ubi a traditis aliunde eorum ectipis, ad prototypa ipſa licet continuo recurrere.

Quæris autem, quid ſit igitur, quod ad latus hujus figuræ, quam Apollinem ſtatuis, adhæret, id- „que ais non Pedum eſſe Apollinis Paſtoris, non Jacu- „lum Sagittarii quod nec Arcus adſit, nec figura Sa- „gittam referat; non Plectrum, quod utique ſit brevis- „ſimum & ad quod Plectrum, quod ais, ſine Cithara? De Pedo quidem ac Plectro, res liquida. An vero Jaculum, & quod ibi addis, nec ſatis intelligo, Sagittarii, quaſi proprium eſſet illud ſagittariorum telum, ideo eſſe non poſſit; quod nec adſit Arcus, nec figura Sagittam referens, id equidem haud inde continuo evinci, agnoſces ipſe omnino, Vir Præſtantiſſime. Aliud enim apud veteres, & quod vulgo etiam notum, teli genus Jaculum; aliud Arcus & Sagitta; unde prius illud ἀκόντιον, ἀγκύλη, ξυστὸν, παλτὸς, *Plutarcho etiam* καταπαλτικὸν *(non ut ibi gitur,* καταπελτικὸν*)* βέλος; *Homero autem etiam* ἀγανέα; *aut juxta eruditos ad Apollonium Criticos alioſque,* σίγυνος *aut* σίγυμνος *a Cypriis olim dictum; & tale quidem telum, quod non Arcu, ſed manu ſurſum elata, emitti in hoſtem ſolitum. Rem eam, ceu modum, quo vibrata olim Jacula, tradunt alicubi veteres,*

In Demetrio.

ad Argon l. II. v. 99. Euſtath. ad Il. B. p. 344. & Ariſtot. de Poet. c. XL.

ad Hippolyt. v. 516. *ad Euripidem Critici*, οἱ μὲν ἀκοντίζοντες τὴν χεῖρα ἄνω πρὸς τὴν
κεφαλὴν ἀνατείνουσι; τὸ δὲ σίδηρον τοῦ ἀκοντίου περὶ τὸν κρίκον τοῖς δυσὶ δα-
κτύλοις τοῖς μέσοις κατέχοντες, οὕτω ἐκπέμπουσιν; Qui jaculantur manum su-
perne usque ad caput elevant, ferrum autem jaculi circa annu-
lum duobus mediis digitis tenentes, ita illud projiciunt. *Im-
mo quod hic magis ad rem facit, proprium illud quo-
dammodo & consuetum Ætolorum telum, qui jaculan-
di peritia & usu commendati olim præ aliis Græcorum*
Phœn. v. 142. *Populis. Hinc* λόγχαις ἀκοντιστῆρες εὐστοχώτατοι, *dicti ab Eu-*
Ibid. v. 1173. *ripide Ætoli, & rursus in eodem dramate*, λόγχαισιν Αἰτω-
λοῖσιν εἰς ἄκρον στόμα Πύργων ἀκοντίζοντας, *ceu*, Hastilium jaculatores
peritissimi, *item* hastilibus Ætolicis, in summitates Turriũ jaculantes,
*haud insolita in utroque loco, quod eruditissimum
Canterum fugit vocis* λόγχης, *non pro* Hasta stataria, *sed pro*
Missilis Hastæ *ceu* Jaculi *significatione; aut quomodo u-*
(a) lib. X, *trumque, præter*[a] *Strabonem, in voce* δόρυ *agnoscunt ve-*
(b) Hesych. in δόρυ & Eust. Il. B. v. 282. *teres*[b] *Grammatici, & sicuti pridem apud Homerum,*
ἀκόντισε δουρὶ *haud semel dicitur. Unde insuper juxta an-*
ὅτι οἱ Αἰτωλοὶ πάντες ὁπλίζονται, ἀκοντίζουσι δὲ ὡς βάρβαροι. Schol. ad Phœn. p. 284. *tiquos Euripidis Interpretes*, ὅπλοισι μιξοβάρβαρος, *seu*
armis semibarbarus *vocatus ab eodem Tragico Tydeus Æ-
tolus, quod partim* Σακεσφόροι *seu* Clypeati *essent,
quod ibi ait Poëta, more Græcorum* omnes Ætoli; *par-
tim* Jaculis instar Barbarorum uterentur; *& quam in rem
jam olim Vatum Parens, de Thoante Ætolorum ad
Trojam Duce, ait,*

Iliad. Θ. v. 282. Αἰτωλῶν ὄχ' ἄριστος ἐπιστάμενος μὲν ἄκοντι,
Ἐσθλὸς δ' ἐν σταδίῃ,
Ætolorum longe præstantissimus, peritus quidem Jaculo
pugnandi.

Strenuus etiam in Stataria, *seu qua cominus Hasta & Gla-
dio,*

dio, pugnabatur. Immo ea jaculandi peritia & usu adeo exerciti ac præstantes fuerunt olim Ætoli, ut non Viri solum sed Mulieres, Jaculis acriter contra Gallos, qui Brenno duce Græciam invaserant, dimicasse legantur; eosque, quod in sequentibus monet iterum Pausanias, recedentes, iisdem Jaculis feliciter confecerint. Unde etiam Ætoli quamquam levi tantum armatura seu jaculis usi, Athenienſium nihilominus, qui eos duce Demosthene invaserant, gravis armaturæ milites profligasse leguntur apud Thucydidem. Adeo quidem, ut non Arcus aut Sagittæ, quod existimabas, figura ullatenus requiratur, ut Jaculum hic esse posſit quod in hoc nummo visitur; immo nihil quod non apprime eatenus conveniens, ut nempe Jaculum, Ætolicum, prout vides telum, in illo Ætolorum nummo una cum Hasta Stataria, quo utroque armorum genere excellebat, juxta Homerum, Ætolorum Dux, opportune signaretur.

Pausan. l. X. p. 651.

Idem p. 653.

Thucyd. l. III, p. 237. ad Wechel.

οἵτε Αἰτωλοὶ ἐπέκειντο καὶ ἐσηκόντιζον Ibid. p. 239.

Quod vero non Gladium, non Jaculum (quamquam obiter & properans istud attigeris) sed Tibiam esse, superiori tua ad me Epistola, contendis, hoc ipsum, de quo agitur, in Ætolorum nummo cusum; de eo utinam, amicissime BEGERE, *possem tibi continuo adsentiri; deque occasione tibi, prioribus meis adnotatis data, accuratius in eadem anquirendi, mihi simul ac Tibi serio gratulari. In eo utique haud difficilem me præbebo, dum Tibiam, de qua nemo litem moverat, aut monitum quidquam a te antea in Observationibus fuerat, ab Apolline haud omnino alienam statuis; idque prolatis eam in rem Pausaniæ, Plutarchi ac Diodori testimoniis, firmare adgrederis. Illud equi-*

equidem extra dubium, tibique apprime etiam notum, Citharam, non Tibiam Apollini propriam olim exstitisse; ac inde illam toties in nummis ac monumentis antiquis, modo cum Plectro, modo sine Plectro, eidem sacratam. Unde & Εὐλύρας Apollo, aut Lyram vel Ci-
Eurip. Alcest. v. 570. tharam (vulgo enim hæc indistincte a Poëtis olim & sculptoribus sumpta) aut quandoque una manu Plectrum, altera Citharam tenens, idemque sæpius habitu Citharœdico, aut Cithara supra Columnam vel Tripodem, quandoque quiescente, stans ipse, aut recumbens visitur. Quorum illud ab Apolline factum narrat Pausanias, posi-
lib. I. p. 78. tam nempe supra lapidem Citharam, dum Alcathoo operam navat, in fabricandis muris Megalensium. Tibiam vero nulla hactenus antiqua nummorum aut statuarum κειμήλια, Apollini tribuere memini; quamquam sciam, quod sicuti in aliis Græcorum Agonibus & sacris, sic etiam, quod e Pausania memoras, in Pythiis huic Deo dicatis, Tibiæ ac Tibicines locum itidem habuerint. Neque tamen Sacadas, qui autor ejus rei a Pausania traditur, cantum, prout ejus verba refers, Tibia Delphis cecinit, sed primus Tibiam inflandi Pythicum dictum inde modum, in sacrum illum agonem invexit. Deceptus enim eo loco, ut sæpe alibi, elegans alioquin Pausaniæ interpres Amasæus (unde toties eruditissimi Sylburgii, ac novissime doctissimi Kuhnii censoriam procul dubio meritus erit virgulam) qui
lib. II. p. 126. verba illa Σακάδα μνῆμά ἐστιν, ὃς τὸ αὔλημα τὸ Πυθικὸν πρῶτος ηὔλησεν ἐν Δελφοῖς, vertit, Sacadæ monumentum invenient, qui primus Pythicum cantum tibia cecinit, quum vertendum ei fuisset, & quod miror a Sylburgio non animadversum,

qui

qui primus Pythicos modos Tibia Delphis inflavit. *Aliud enim erat apud Græcos, & in his ipsis Pythiis agonibus*, Ἀυλωδίαις, *seu* cantu ad Tibiam; *aliud*, Αυλοῖς *seu* Tibiis *decertare; ac diversa proinde* τῶν Ἀυλωδῶν, *alia* τῶν Ἀυλῶν *seu* τῶν Ἀυλητῶν *præmia*, *sicuti alia* Κιθαρισῶν, *vel* φιλοκιθαρισῶν, *alia* Κιθαρωδίας *ratio*. *Quod discrimen, ut aliunde notum, ita in hoc ipso Sacada notat alibi Pausanias*, προσέ- lib. X, p. 621. θεσαν δὲ καὶ Αυλωδίας ἀγώνισμα καὶ Αυλῶν; ἀνηγορεύθησαν δὲ νικῶντες Κεφαλλὴν τε ὁ λάμπυ Κιθαρωδὸς, καὶ ΑΥΛΩΔΟΣ Αρκὰς Εχέμβροτος, ΣΑΚΑΔΑΣ δὲ Αργεῖος ΕΠΙ ΤΟΙΣ ΑΥΛΟΙΣ; Addiderunt etiam (*nempe Amphictyones*) cantus ad Tibiam, & Tibiarum certamen. Renuntiati sunt victores de cantu ad Citharam, Cephallen Lampi filius, DE CANTU AD TIBIAM Echembrotus Arcas, DE TIBIA vero SACADAS Argivus; *de quo additur, binis deinde Pythicis agonibus eundem de Tibiis præmium tulisse; quum tamen secunda jam Pythiade, non Tibiarum quidem, sed ad Tibiam cantus seu* Αυλωδία, *tanquam tristis nimium & lugubris, fuerit sublatus. Quamquam, quod obiter moneo, in Musicis veterum agonibus, Sacadæ & Pronomi cantiunculas locum habuisse alibi idem Pausanias memoret. Remansit vero etiam ex-* lib. IV, p. 265. *tra Pythia, ille de quo hic agitur, Tibias inflandi modus a Sacada inductus, qui & inde* τὸ Πυθικὸν αὔλημα *dici meruit; & cujus duo exempla suppeditat Athenæus; unum extra Pythia, in convivio nuptiali Alexandri Magni, ubi præter* Ἀυλωδοὺς *seu ad Tibiam canentes, postea etiam inductos refert* Αυλητάς, οἱ πρῶτοι τὸ Πυθικὸν ηὔλησεν, lib XII, p. 537. Tibicines, qui primi modos Pythicos inflarunt. *Alterum in Pythiis, ubi nempe de Bromia tibicine ait*, καὶ ἔμελλε τὰ πύ- l. XIII, p. 685. θια αὐλεῖν, in Pythiis modos erat Tibia factura, *ni nempe obstitisset turba. Hinc* Ἄυλημα *illud* Πυθικὸν *etiam in Olympi-*

cum Agonem inductum, tanquam Apollini sacrum, refert alibi Pausanias. Unde etiam, quod observo, πύθαυλοι *inde dicti apud Græcos, non quivis in genere* Tibicines, *sed qui Pythios illos modos, tam in Gymnicis, quam in Musicis aut Scenicis Agonibus inflarent; & quorum* πυθαύλων *memoriam exstare video, in præclara Inscriptione a duobus diligentissimis harum lautitiarum promicondis* [a] *Reinesio ac* [b] *Sponio vulgata, & cui lux inde aliqua e modo dictis accedit. In ea nempe, non Musici solum, quod censuit eruditissimus Reinesius, sed Dionysiaci etiam h.e. Scenici Agonis, sub Severo & Caracalla Augustis, editi fit mentio, ac simul inter alia cujusdam Ventidii Sotæ* ΠΥΘΑΥΛΟΥ ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΟΥ ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ, *seu* Tibicinis ad Pythios Modos, Victoris in omnibus sacris Agonibus, Admirandi, *sicuti ea verba intelligi omnino debent & explicari. Immo retenti etiam in Scenicis Romanorum, quod vel ex Diomede liquet, qui horum meminit,* Pythaules. *Alias, ut in Pythiis seu Delphicis Apollinis sic in reliquis solemnibus Græciæ, Jovi aut Neptuno sacris Agonibus, aut in omnibus Musicis etiam, aliisque Baccho aut alteri Numini dicatis id genus certaminibus, adde & sacris Gentilium, Tibias & Tibicines, in genere adhibitos, nemo equidem nescit. Hinc Tibicines inter sacrorum Ministros, juxta ÆditLos, Augures, aliosque id genus, a Pausania alicubi relati leguntur & inde id genus Tibicines, non unam tantum, sed vulgo duas inflantes Tibias, in residuis sacrorum, quæ nummi vel lapides antiqui magna copia suppeditant, monumentis videre passim licet. Adeo quidem ut singulare alicubi notet Apollodorus, quod Minos Gratiis sacra faciens in Paro Insula, nuntiata filii morte,*

Ti-

Lib. I. Eliac. p. 300.

(a) Syntagm. p. 313.
(b) Misc. Antiq. p. 369.

Quando enim Chorus canebat &c. in canticis autem Pythaules Pythicis respondebat Diomedes.

Ibid. p. 317.

Biblioth. l. III.

Tibias inflare vetuerit, ac inde ſine Tibiis & Coronis, Gratiis ſacrificarint poſtea Parii. Neque tamen e modo dictis continuo ſequitur, Tibias Apollinis, aut alterius Numinis, cui Agones & Sacra id genus fieri olim ſolita, ſimulacris, ſi Muſam forte, Euterpe, & Gratias, in ſigno, cujus recordaris, Deliaco, & cui ſimile voluit ſibi erigi, teſte alicubi Philone, Caligula, excipias, addita; aut ulla ejus rei veſtigia, vetera hactenus, quod equidem norim, ſubminiſtant id genus κειμήλια. *Immo ne Minervæ quidem, a qua* [a] *inventa traditur, ſed* [b] *exoſa poſtea ab eadem, Tibia; aut Cybele, cui* Μητρῷος *Tibiarum cantus, a Phrygibus olim ſacratus; aut Baccho, cui* πλαγίαυλοι, *ſeu* obliquæ *aut* curvæ Tibiæ, *juxta* [d] *Maronem, dicatæ, adponi Tibiam videas; quod etiam de Bacchantibus, Tibias ore patulo inflantibus, abunde e nummis & marmoribus antiquis notum. Quod autem hic præcipuum, & quo uno tuam de Tibia Apollini in Ætolorum nummo appenſo ſententiam evincere exiſtimas, diſſimulare utique non licet; id nempe quod e Pauſania memoras, in eodem Apollinis Templo, cum Haſtam ſeu Venabulum, quo Meleager Aprum Calydonium, & quem locum eam in rem in Obſervationibus tuis adtuliſti, interfecerat; tum, quod nunc addis, & opportune ibidem reperiſſe exiſtimas, Marſyæ Tibiam ſacratam, Unde nihil obſtare contendis, quo minus utrumque & Venabulum Meleagri, & Marſyæ Tibiam ſimul cum Apolline in numiſmate Ætolorum fateamur? Neque certe ego facile obſtarem quin accederem potius lubenter tuæ illius*

Leg. ad Cajum p. 1005. C.

(a) Pindar. Pyth. Od. XII. Athen l. XIV, p. 616.

(b) Athen. l. XIV. p. 616.

(c) Pauſan. l. X, p. 668.

d) *Aſt ubi curva Choros induxit Tibia Bacchi* Æn. l. XI, v: 737.

lib. II, p. 99.

ea de re sententiæ, & ἀγχινοίας *simul, quæ in te utique haud vulgaris, laudator & præco. Sed multa tamen, mi BEGERE, eundem adsensum hic meum sufflaminant, & quæ tuo etiam judicio lubens, prout decet, relinquo. Mitto illud primum, quod non Tibiam unius numero, sed Tibias Marsyæ, Apollini dicatas tradat i-*
lib.II, p. 99. *bidem Pausanias;* καὶ αὐλοὺς ἀνατεθῆναι φασὶν ἐνταῦθα τοὺς Μαρσύου, in eodem etiam Templo, *nempe Apollinis*, dedicatas fuisse Marsyæ Tibias; *in Ætolorum autem nummo una tantum occurrat, quam existimas, Tibia. Quum enim varia essent Tibiarum apud veteres genera, neque unus tradatur earum inventor; Marsyæ vulgo non unius, sed*
obliquas Tibias Midas in Phrygia, geminas Tibias Marsyas in eadem gerte lib. III, c. LVI. *geminæ Tibiæ, juxta Plinium, inventum adscribi videas, Alterum & palmarium quidem, quod non de antiquo Ætolorum Templo aut ab Ætolis condito, vel repertis Marsyæ apud Ætolos Tibiis agat eo loco a te adducto Pausanias; sed de Apollinis fano apud Sicyonios, & abjectis a Marsya Phryge, ut notum, in Mæandrum, Phrygiæ & Cariæ in Asia fluvium, Tibiis; iisque dein in Æsopum delatis; ejectis postea in agrum Sicyonium, ibique a Pastore forte repertis & dicatis Apollini. Verum non de Sicyonorum nummo, quod tum minus habere difficultatis, ni alia obstarent, posset, sed de Ætolorum numismate hic agitur. Nulla autem inter Sicyonios & Ætolos communis vel Originis, quæ sæpe eadem Numina, pro Metropoleon & Coloniarum ritu, nobis in antiquis nummis, & qua de re alibi, ante oculos ponit; aut ejusdem situs alioquin ratio. Eleorum quidem & Ætolorum nota ex antiquis Auctoribus & monumentis cognatio; unde E-*
lib. X, p. 464. *lei & Ætoli vicissim* ἀλλήλων ἀρχηγέται *apud Strabonem,*

seu

ſeu alii aliorum Auctores vel Conditores dicti. Hinc factum etiam, juxta conſuetam nempe Metropoleon & Coloniarum neceſſitudinem, ut Ætolos cum Eleis ſemper amicitiam coluiſſe, memoret alicubi Polybius. lib. IV, p. 279. *Nihil tale vero de Ætolis & Sicyoniis referunt veteres, quorum hi Corinthiis, ut notum, ſimul & Argivis finitimi, immo in Argivorum ditione, & quaſi pars*[a] *Argolicæ regionis, remanſerunt; illi vero extra Poloponneſum, ad Acheloum, ut de iis alicubi Pauſanias, incolæ. Unde ſtatues ipſe, haud levi laborare incommodo, ut figura in Ætolorum nummo ſignata, continuo ad Apollinem, qualis idem apud Sicyonios cultus, ceu cum repertis & ſacratis illi apud eosdem peculiaribus, & quæ nihil ad Ætolos ſpectant (de Marſyæ Tibiis loquor) inſignibus referatur. Meleagri fateor, tanquam Ætoli, Venabulum, quo Aprum Calydonium confecit, quamquam in alia Græciæ parte, Apollini dicatum, opportunius in Ætolorum nummo effingi potuiſſet, Verum re proprius inſpecta, nec Venabulum illud Meleagri, ſicuti nec Marſyæ Tibias, præfert idem nummus; nec proinde illa cum Apolline, cui eadem eſſent apud Sicyonios ſacra, in eodem celantur. Nulla utique hic Venabuli cuſpis, qualis vel in marmoribus a te cum inſculpta in iisdem Meleagri venatione viſitur, aut in aliis etiam Ætolorum nummis, eoque, quem e Goltzio ipſe in Obſervationibus tuis protuliſti,* Obſ. p. 2. *in quo Aper ille Calydonius cum Venabulo infra ſculpto ſpectatur; ſed Haſta tantum, ſicuti poſtea adhuc dicetur, pura viſitur*

a) Σικυώνιοι &c. ἀπὸ τούτου καὶ μοῖρα τῆς Ἀργειάς. Pauſan. l. II. p. 96.

b) οἱ περὶ τὸν Ἀχελῷον οἰκοῦντες de Ætolis l. v. p. 288.





Neque ideo corruit continuo, quod ad Meleagrum potius, quam ad Apollinem, referendam existimaveram figuram illam in hoc Ætolorum, quem e Goltzio protuleras, nummo expressam; quodque tecum e dictis marmoribus, quæ suppeditavit opportune Manuscriptum hujus Bibliothecæ Electoralis Pighianum, tum excusso anxie Philostrati, quem adtuleram eam in rem loco, tibi, haud levi brachio convellendum putasti. Quo nomine tamen gaudeo, amicissime BEGERE, datam tibi inde occasionem, industriam diligentiamque tuam haud vulgarem exacuendi, & simul præclara hæcce, quamquam non plane integra, priscæ elegantiæ monumenta, e penu tibi credita opportune depromendi. Nec obstare ullatenus debet huic tuæ singulari diligentiæ, quod eædem Meleagri venatio, cum toto comitum aut adstantium Numinum vel Heroum Choro, Sylva insuper Calydonia, plenior haud parum & integrior, cælata etiamnum occurrat in antiquo & insigni marmore a Cl. Sponio vulgato, & ubi eandem Venabuli illius cum pinnata cuspide figuram itidem videas. Mitto plures Samiorum nummos, sub Romanis Inperatoribus cusos, quorum meminit ibidem diligentissimus Sponius, & quales vidisse haud semel juvit in præ-

Misc. Sect. X, p. 312.

præclaris Galliæ Cimeliarchiis, in quibus nempe, prout ſtatuunt celebres Antiquarii, Meleager Aprum Venabulo confodiens ſpectatur. Quamquam, ſi verum fatear, viro erudito hic potius accedam, qui Imperatorem, Gordianum puta vel Decium, ſub quibus aut eorum Conjugibus cuſi ſimiles nummi, verius quam Meleagrum ſignari in iis arbitratur. Neque etiam obſtat, quo nomine Harduinum hic redarguit Sponius, quod ſine corona aliisque Imperatoriis ornamentis, eadem figura Aprum confodiens in nummis illis ſpectetur. Ut alia enim mittam, Gordianus itidem ſine Corona, modo Leonem, modo etiam Aprum ex equo venabulo confodiens ſpectatur in duobus præclaris numiſmatibus, uno Regiæ Gallorum Gazæ, altero Illuſtrisſimi Franciſci de Camps, Apamenſium in Gallia Epiſcopi, cujus humanitate ſingulari, præclara quæ posſidet idgenus κειμήλια, *ſeu ſelectiora & luculenta eorum ectypa ære calata, nunc ad me, ea curante Abbate Nicaſio, viro omni laude, quæ ab humanitate, probitate, & eximia rerum antiquarum peritia peti poteſt, ornatisſimo, una cum meis quibus a meo e Galliis disceſſu hactenus carueram, libris opportune deferuntur. Unde nec ingratum tibi accidet opino aut ab hoc argumento alienum, ut petitum inde nummi illius ſchema infra hic exhibeam, in quo non Venabulo ſolum armatum videas Gordianum, ſed transfixum jam ſimili telo Aprum, cum inſcriptione, quæ ab Epheſiis percuſſum nummum arguit, iisque, in hac ſupellectile antiquaria, familiari,* ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ, Epheſiorum Primorum Aſiæ;

Harduin. de Num. Urb. ill. p. 435.

Mit-



Mitto vero alias id genus ferarum Venationes, quæ tanquam præclara fortitudinis Imperatoriæ specimina, in Cæsarianis nummis haud semel cælantur.

Quod vero adtinet ad Philostrati locum, & in quo enucleando pluribus versari tibi libuit, idque ut argueres, non paria omnino facere figuram in nummo Ætolorum expressam, & quam ad Meleagrum referebam, cum ea Apri Calydonii Venatione a juniore Philostrato depicta, in eo utique aliquod laboris compendium facere omnino poteras, præstantissime BEGERE. Neque enim vel ea mens mihi fuit, vel esse potuit, ut nummum Ætolorum, de quo agebatur, & in qua una figura imberbis & armata cernitur, sine ulla vel Apri, vel Meleagri adjutorum in ea Venatione Iconibus, eundem tamen statuerem, cum illa icone seu tabula prisci operis, in qua præter Meleagrum, Aper ipse, & Peleus venationis socius, ac feræ impetum excipiens Meleager, totaque proinde decantatæ illius venationis historia vel fabula a Philostrato depingitur. Quod a me etiam haud obscure utique, sed clarissimis verbis indicatum fuerat, ubi ex tota Autoris illius ea de re narratione, locum unum adferens, & mihi, ut videbatur, opportunum, elucidando, de quo agebam, argumento, hæc præmisi, Philostratus ubi

hanc ipsam Meleagri depictam Venationem pluribus narrans, hæc de eadem refert &c. *In loco autem ipso, quem ibi adtuli, continuo Meleagri & Pelei, qui ambo Aprum interfecerant, & Apri ipsius, cujus impetum exciperet Meleager, facta occurrit mentio, seu descriptæ in tabula, quam ibi Autor memorat, Icones. In ipso autem Ætolorum, de quo agebatur, & sculpto in fronte tuarum Observationum, nummo, nulla Pelei, immo nec Apri figura, solus occurrit ille, quem conjiciebam, Meleager. Unde utique non id me statuisse aut potuisse statuere, nisi cæcus omnino fuissem, ipsemet pro candore tuo agnosces; ut nempe eadem, quæ a Philostrato eo loco traduntur, in nummo Ætolorum continuo depicta existimarem, aut eundem vel similem nummum ante oculos habuisse, dum ea traderet, Philostratum. Id tamen haud obscure videris statuere in tota illa tua, de loco Philostrati a me adducto, cum Ætolorum nummo, collatione; immo aperte omnino indicas, ubi ideo quod a Philostrato nullus tribuatur Meleagro Gladius, eundem autem illi in nummo » Ætolorum apponi dixeram, inde colligis, non id credi» bile diligentissimum Scriptorem omissurum fuisse, & e » contrario, si non adpictus, nec Ætolos eum in numismate expressuros. Si quæras autem, cur ergo adductus a me ille locus Philostrati? ea nempe occasione, ut ibi satis innuo, quod meæ, quam ante visum eundem locum, coram tibi indicaveram, de Meleagro conjecturæ, quædam videretur habere valde opportuna. Meleager nempe, ut aliunde notum, Heros Ætolus; Venatoris, sicut e Petaso colligebam, habitu, seu ad venationem accinctus; Hastæ idem innixus, altero pede se in incessu*

fulciens ac ſuſtentans, nonnullo etiam ſupra genu indumento tectus, quæ in eodem Philoſtrati loco ac in nummo etiam Ætolorum, & a Communi quidem, ut liquet, Gentis cuſo, occurrebant. Quid vero ad hæc reponis: Primo, quod ſiniſtro pede ſe fulciens apud Philoſtratum, dextro autem in Ætolorum nummo, ille, quem ſtatuebam, Meleager viſitur. In quo equidem quantum momenti ſit ſitum, te ipſum lubenter judicem fero. Alterum, quod adfers, Gladii nullam fieri, quo accinctus foret Meleager, mentionem, quam non præteriiſſet, qui eum in Peleo notaverat, diligentisſimus, uti eum indigitas, Philoſtratus. De diligentia quidem ejus vel accuratione, & an magnam eo nomine laudem mereatur hic Autor, multa forte dicenda occurrunt, quæ non ſunt hujus loci. Immo quaſi accuratioribus etiam Philoſtrato Scriptoribus non pasſim uſu veniat, ut nonnulla prætereant, in quibus haud magnum rei pondus, iidem poſitum putant. Immo ſi Gladio accinctus venationis illius, vel tradente Philoſtrato, adjutor Peleus, cur non & Meleager? a quibus nempe duobus adoleſcentibus interfectum Aprum tradit, eo quem adtuleram loco, Philoſtratus. Tertio, eundem, quem cenſebam Gladium, nimis longum, contendis, quam ut priſcus Gladius videri posſit; qua de re equidem quid ſtatuendum ſit, abunde ſupra, ut opinor, evici. Quarto, Meleagrum Apri impetum excipere, quod in nummo Ætolorum non comparet; unde ex adducta, ea occaſione, e Schedis Pighii, quod jam antea monui, vera Meleagri Aprum venabulo excipientis aut adgredientis verius icone, totam illam ea de re Philoſtrati narrationem inde lu-

luculenter illustrari. Neque vero hanc tibi diligentiæ laudem animus est denegare, quamquam mutila sint, ut dixi, eadem apud Pighium marmora, longe autem plenius ac sincerius totius illius venationis index marmor apud Sponium reperiatur. Dum vero Philostrati verbis a me adductis presſius insistis, quædam in iis observas, de quibus tamen non opus fuit, quod te haud ingratis dicam, ut H. Stephani autoritate, a me ibi adlata, prout existimas, convelleres. προβολὴν *non* progreſſum *ibi apud Philostratum, juxta Latinum ejus Interpretem, sed* procinctum *notare monueram, nota significatione, & quo sensu a Cicerone sumitur, decertaturi pugilis, ceu cujuscunque, ut hoc loco Meleagri, plagam inferre parati, immo ita in præmiſſa Latina versione loci illius Philostratei, hanc vocem, miſſa Interpretis explicatione, per* procinctum *reddideram. Unde nihil minus tribui mihi potuit, quam me ibi ab eadem vocis illius explicatione discesſiſſe.* προβολὴν *etiam eodem sensu, non de Venatoris, sed de Apri ipsius e Sylva exeuntis impetu dictam videas alibi apud eundem Philostratum, ubi depictam in veteri Tabula Aprorum Venationem nobis ante oculos ponit,* εἶτα ἐμπίπτει τοῖς ἱππεῦσι, καὶ ταράσσει μὲν αὐτοὺς ἐκ προβολῆς, ſtatimque in Equites incidit, & ipſos quidem repentino impetu perturbat. Icon.l.1.p.774 *Illud tantum obiter addideram,* προβολὴν *etiam apud Græcos dici de* Lapidum ſtrue, *immo de* Lapidis fulcro; *quo sensu quoque haud incommode de Meleagro in nummo Ætolorum, lapidi aut lapidum strui innixo, sumi vox eadem poſſet. Sic* προβολὴν, (*sicuti* πρόβολον *&* πρόβλημα, *ac prius etiam de* Venabulo *apud Herodotum*) de

Vid. Harpoc. in προβολῆ. *de* munimento *quovis frequenter ab Atticis ſcriptoribus dici noveram; ſicut præter illa, quæ eam in rem jam congesſit, quem inter Majores meos maternos jure licet mihi venditare,* ὁ πάνυ *Budæus, addi poteſt etiam Sophocles,*

Ajac. v. 1233. δείματος ἦν μοὶ προβολή, metus erat mihi munimentum. *Quemadmodum* πετρῶν προβλήματα, *apud Æſchylum dici videas,*

Sept. Theb. v. 681. *non* lapides *quidem, ſed* munimentum contra lapidum ictus, *Clypeum nempe, juxta Græcos ad eum Criticos. Quum alioquin* προβολαὶ *in jure Attico dicerentur actiones de ca-*

a) adv. Midiam (b) de falſ. Leg. *lumnia, maxime diebus feſtis illata, ut præter* (a) *Demoſthe-*

(c) Ἑλλην. l. 1. p. 452. *nem aut* (b) *Æſchinem liquet mihi inſuper ex* (c) *Xenophonte. Eodem ſpectat, quod vocem* ἀσφαλῶς ſecure, *aut ut iterum ex H. Stephano adfers,* tuto, *vel, ut addis,* minime lubrice *&* *ad* στηριγμὸν τῆς βάσεως, *ſeu* ſtabilitatem greſſus, *de qua ibi Philoſtratus, non ad* προβολὴν *ſeu* munimentum, *referendum ſtatuas; quod nec a me etiam factum vel cogitatum, qui verba illa, prout ab Interprete intellecta quoque fuerant, retinui ac diſtinxi,* & greſſum obfirmans, ſecure impetum Apri excipit. *De voce quidem* ὑποστήτας, *quam ibi idem Interpres per vocem* ſuſtentatus *reddit, nempe* λόγχην ὑποστήσας, lancea ſuſtentatus, *& quam rectius activa ſignificatione per* ſuſtentans *aut* ſubjiciens, *& apposite ad Meleagri in Pighianis marmoribus depicti icones vertendum putas, in eo utique haud difficulter tibi adſentior. Sic præter*

Od. VI. Ol. *adlatum a te ex H. Stephano Plutarchi locum, apud Pindarum legas,* χρυσέας ὑποστάσαντες, *nempe* aureas ſupponentes *quod mox ſequitur,* κίονας, *ſeu* Columnas: *ac inde ſimiliter*


lib. V. p. 147. *Tripodum* ὑποστήματα *apud Athenæum ſeu* ſuſtentacula *ap-*

Oreſt. v. 556. *pellantur; & apud Euripidem* τῆς ὑποστήσης τροφῆς, quæ exhibuit nutrimentum, *h. e. mater. Supereſt illud quod*

Phi-

Philostratus de Meleagro tradit eodem, de quo agitur loco, ἐσθὴς ἡ λευκὴ ὑπὲρ γόνυ, vestimentum album supra genu, *quale in monumentis Meleagri e Pighio adductis, aut in eo marmore, quod vulgavit, uti diximus, Sponius, non comparet, ubi Clamyde a tergo rejecta, cætera nudus toto corpore Meleager visitur; sicut depromptum inde sequens schema abunde arguit;*

Spon. Misc. Antiq. p. 312.



Quum autem in Ætolorum nummo eo habitu, ceu cum indumento supra genu *figura ibi cælata spectetur, & unicum illud esse existimes, quod aliquem Meleagri, ut ais,* „ *colorem præferre posset, id vero continuo inde putas con-* „ *velli, quod si te acies non fallat, non super genu indu-* „ *mentum hoc, sed a brachio sinistro juxta genu dependere tibi videatur. Verum quum non sit alius nobis hactenus index hujus rei aut fundus, & de quo etiam uuice inter nos agebatur, nisi productus a te in limine tuarum Observationum e Goltzio nummus, ita quoque quid de indumento illo statuendum videatur, & an juxta, uti quidem censes, non etiam supra genu dependeat, haud certius utique, quam ex ipsa traditi a Goltzio nummi, & accurate ad eundem expressa icone liquere nobis potest.*



Quæ ectypa ideo etiam a me hic adlata, ut quid de figura in aversa hujus nummi parte, mea quidem sententia statuendum sit, certius aliquanto liqueat. Cur vero eum Apollini, quod tamen indubiis argumentis evicisse *existimas, nullatenus ego tribuendam putem, ut paucis hactenus ea de re a me monita hic contraham, aliisque insuper ac novis tibicinibus id firmem, ea sunt, præstantissime* BEGERE: *Primo, quod insolita sit omnino in nummis & Statuis Græcorum antiquis, quæ tanta etiamnum copia hujus Dei simulacra exhibent, Hastati Apollinis, & Gladio, ceu vero Tibia, uti quidem arbitraris, insigniti figura: Alterum, quod nummus hic sit non Sicyoniorum, sed Ætolorum; ea autem, & qui fundus tibi tuæ hujus conjecturæ, quæ Pausanias memorat, de Meleagri venabulo, & Marsyæ Tibiis, in Apollinis fano apud Sicyonios dicatis, ad Sicyonios proinde spectent, non ad Ætolos. Nulla vero inter Sicyonios & Ætolos communia Originis, Cognationis, aut Situs alioquin jura exstitisse leguntur, quæ suadeant, ut apud Sicyonios Apollini dicata, & quidem quæ nihil ad Ætolos spectent, sicuti Marsyæ Tibiæ, in Ætolorum nummo signentur: Tertio, idque eo minus existimandum, quod non omnia Diis, seu in eorum fanis sacrata, ideo eo-*

rum

rum simulacris continuo addita fuerint, ubi id aperte non tradunt veteres, & sicuti frequenter solet aloquin Pausanias, maxime ubi de insolito aliquo Dei cultu, qualis foret Venabulo & Tibia insignitus Apollo, agitur. Immo sicut hoc ipsum in eo, quod adfers, exemplo, Jovis Labradæi, seu Securigeri, *opportune notat Plutarchus; Amazoniam nempe Securim, simulacro Jovis apud Caras, pro Sceptro, aut Fulmine, consuetis scilicet Deum Regis & Tonantis insignibus, additam; & inde continua serie a Cariæ Regulis vel Dynastis gestari solitam; e quorum numero ille, quam tradis, Hecatomnus, tum Hidrieus, & quem alibi e rarissimo nummo Regiæ Gallorum Gazæ vulgamus, Pixodarus, cum signata in iisdem Jovis illius Securigeri icone. Adde, quo vel uno tota illa tua de hoc nummo, e Pausania, uti existimabas, explicato, sententia corruit; quod nempe nullum sit in eodem numismate, re accuratius inspecta, Meleagri Venabulum, quo Aprum Calydonium confecit; sicut cum e propriis a te vulgatis, aut iis quæ apud Sponium exstant, venationis hujus monumentis; tum ex ejusdem Venabuli icone vel ejus cuspide in aliis Ætolorum nummis, apud Goltzium & alibi conspicua, qua de re jam ante, omnino liquet; sed Hasta tantum pura, qualis Diis ac Heroibus in antiquis eorum simulacris, tribui consuevit. Ita nec Tibia etiam statuenda est, id quod sinistro lateri figuræ illius additum; minus geminæ Marsyæ Tibiæ, quæ ejus inventum feruntur, & quas numero utique plurium Apollini in fano Sicyoniorum, a pastore quodam dicatas, tradit, uti ante vidimus, Pausanias; sed vel Gladius, aut vero Jaculum Ætolicum, de quo supra abunde diximus, telum.*

Διά τι τοῦ Λαβραδέως Διὸς ἐν Καρίᾳ τὸ ἄγαλμα πέλεκυν ἠρμένον, οὐχὶ δὲ Σκῆπτρον ἢ κεραυνὸν πεποίηται. Quæst. Græc.

Illud

Illud equidem præterire hic non licet, quod Apollinem etiam Jaculo seu telo armatum exhibeant plures Syriæ Regum e Successoribus Alexandri nummi, sicut Antiochi II; Seleuci Callinici; Demetrii II; Antiochi Dionysi, & aliorum, quales versare mihi licuit in Gaza Gallorum Regia, & cujusmodi prostant in Cl. Vaillantii de Syriæ Regibus opere. Verum, quod notari hic simul debet, cum peculiaris ille Syris ac Phœnicibus, apud quos iidem nummi sunt cusi, Apollinis habitus, sicut ex armati itidem ejusdem Dei apud Syros Hierapolitanos simulacro, & tanquam alieno a Græcorum ritibus observant alicubi, & qua de re infra, [(a)] Lucianus & [(b)] Macrobius; tum simul consueta in iis videas, vel Arcitenentis, vel Tripodi aut Columnæ innixi, quæ continuo Apollinem produnt, Symbola. Id quod in sequentibus similium nummorum ectypis licet abunde agnoscere, quorum primum Seleuci II. vel Callinici; alterum Seleuci IV. Nicatoris; tertium Antiochi Dionysi nomen, ut de eorum vultu in anteriori area signato sileam, præfert;

(a) De Deo Syriæ.
(b) lib. I. Saturn. c. XVII.

Vid. Hist. Reg. Syr. Vaillantii



Nihil vero tale exhibet hic, de quo agitur Ætolorum nummus, aut quod cum receptis apud Græcos hujus Dei simulacris sit consonum, Id autem eo magis adtendi hic meretur, quod Apollinis non petasatum equidem, sed

lu-

laurea: tum, more ei conſueto, caput ſignetur, in alio inſigni Ætolorum nummo Cimeliarchii Gallorum Regii, qui in averſa parte dentes Apri Calydonii, & venabuli, quo ille a Meleagro cæſus, cuſpidem præfert, cum eadem autem totius gentis epigraphe ΑΙΤΩΛΩΝ Ætolorum. *Adeo ut petaſatum in aliis eorum nummis caput, non uti ſtatuis, ad Apollinem ſed ad Mercurium, aut forte de quo mox, heroem Ætolum referri opportunius debeat; ſicut rurſus galeatum Palladis caput præfert alius eorundem Ætolorum in Theſauris illis Regiis nummus. Adde & quod ſuperiora iterum haud parum firmat, quod in Calydonis, primariæ Ætolorum urbis nummo apud Goltzium, ſignetur Apollo Citharœdus, nudus nempe Citharam Columnæ innixam pulſans, nullo vero a tergo Petaſo, ſicuti in Auguſti, quem conjecturæ tuæ ſtabiliendæ adduxeras, nummo, munitus: & quod ſequens, qualis apud Goltzium exſtat, nummi icon abunde ante oculos ponet, cum expreſſo in averſa ejus area Tripode;*



Ut mittam denique, quod alia etiam ſit Citharœdi Apollinis, cum Petaſo in tergo ſignati figura in nummo Auguſti, & quem poſt Nonnium, qui eundem ad Goltzium indicaverat, in limine tuarum Obſervationum adtuliſti.

Quæres autem, si non Apollini, cuinam ergo, & an continuo Meleagro, eadem figura adscribi debeat, & petasatum in aliis Ætolorum nummis, quod ad Apollinem itidem referre tibi, uti modo vidimus, libuit, caput? hoc vero sic habe, vir Amicissime: Signatus nempe ille & alter etiam in limine tuarum Observationum post Goltzium vulgatus, a Communi Ætolorum, quod docet nummi ipsius & aliorum id genus inscriptio, ΑΙΤΩΛΩΝ, Ætolorum, *non vero unius urbis, sicuti Calydonis vel Naupacti, quarum occurrunt peculiares, sicuti de prima paulo ante vidimus, apud eundem Goltzium nummi. Tales vero Ætolorum conventus annuos Thermi, quod vetus Ætoliæ oppidum, idque ob loci firmitatem exstitisse* (a) *Strabo, & plenius aliquanto* (b) *Polybius, tradunt; ubi nempe statis ac solemnibus Festis, Comitiis de creandis Magistratibus, aliisque publicis Gentis negotiis vacarent; & qua proinde occasione nummi id genus, sicuti passim apud alios Græciæ Asiæque populos factum, e veteri nummorum penu constat, publico gentis nomine ac decreto fuerunt cusi. Unde nihil etiam magis hic conveniens, quam ut sicuti communia Græcorum & Gentis Numina, cum solitis eorum typis, laureati nempe ut vidimus, Apollinis, galeatæ Palladis, aut Petasati Mercurii signantur in anterioribus eorundem Ætolicorum Nummorum partibus; sic in aversa unius ex eis area, Heros Ætolus, & maxima, ut ipse ais,* Ætolorum Gloria, *adde & juxta Oeneum Patrem, ejusdem gentis quondam Princeps, ac venatione, ut notum, Apri Calydonii in-*

(a) lib. X. p. 463.
(b) lib. V. p. 357

insigniter nobilitatus, in communi Ætolorum nummo, idemque Hasta & jaculo Ætolico conspicuus cælaretur. Haud aliter nempe ac supra memoratus Ætolorum Dux Thoas, mortuo paullo ante, quod ibidem memorat Vatum Parens, Meleagro, tanquam utraque & jaculandi & statariæ, quæ Hasta geritur, pugnæ laude strenuus, uti antea vidimus, commendatur. Hinc etiam Meleagrum quod adtinet, modo Aper ille, unde partum eidem Heroi decus una cum Venabulo; modo Apri ejusdem dentes, & Venabuli cuspis signata solum visuntur, in præclaris, quos paullo ante commemoravi, Cimeliarchii Gallorum Regii nummis. Ut proinde nihil obstet omnino, immo quod non suadeat & adstruat potius, ut figura illa, de qua agitur, in Ætolorum nummo expressa, ad Meleagrum, Heroem Ætolum, opportune referatur, Ni malit quispiam, quod hæc scribenti forte occurrit, ut ipse gentis conditor Ætolus, ibi depictus statuatur; illoque petasati habitu, profectio ejus, quam veteres Auctores memorant, ab Elide in Curetum regionem, Ætoliam inde ab eo dictam, & ejectis prioribus incolis, inhabitatam, continuo denotetur. Haud insolitum vero in antiquis Græcorum nummis sciunt, qui eosdem attente versarunt, ut Urbis aut Gentis Auctores seu Conditores, tanquam Dii vel Heroes, Deorum ritu, fanis, sacris, festis, cultu, aliisque solemnibus sacrati, publicis etiam eorum monumentis, in perpetuam grati ac memoris animi memoriam, signarentur. Sic præter

Strabo l. X. p. 463.

Deos creditos quandoque loci, Perinthi *puta*, Niceæ, Maroneæ, *aut similium Conditores*, Herculem, Bacchum *aliosve*, Cyzicus, Byzas, Pergamus, Tomus, Abderus, Alexander & Amazones, *quales* Smyrna, Thyatira, Amisus, Amastris, *aliæque, & de quibus nos alibi, in præclaris* Cyzicenorum, Byzantiorum, Pergamenorum, Tomi, Abderitarum, Apolloniatarum, Smyrnæorum, Thyatirenorum, Amisenorum & Amastrianorum *nummis etiamnum prostant. Quod de Ætolis proinde minus mirum aut insolens videbitur, qui meminerit insuper, quod de Thoante, Ætolorum ad Trojam, mortuo jam quippe Meleagro, duce, tradit alicubi Poeta, eum Dei instar ab Ætolis cultum,*

Iliad. N. v.219. Αἰτωλοῖσιν ἄνασσε, θεὸς δ' ὡς τίετο δήμῳ,

Ætolis imperabat, Dei autem instar colebatur a populo Ætolorum.

II. De Figura, Equestri In CYRENÆORUM Nummo.

QVIA vero huic tuæ opinioni de petasato in superioribus nummis Apolline, aliquod pondus e Rhodiorum & Cyrenæorum, cum pileato in iisdem, uti existimabas, hoc Deo, tibi arcessendum putasti, inde obiter, quid de postremo, Cyrenæorum nempe, cui insistebas potissimum, nummo statuendum crederem, obiter superiori mea ad te Epistola monueram: Equestri nempe illa figura cum appenso a tergo Petaso, & præterea cum Solis sidere retro signato, non tam Apollinem, Solis, ut ibi tradebas, Aurigam, quam Battum primum, duce Apolline, Cyrenarum conditorem, aut unum e Battiadis ejus posteris, ad Agones forte Equestres, quorum peritia insignes olim, ut vel e Pindaro liquet, Battiadæ profectum, mea quidem sententia, denotari. Qua occasione Equestris illius, quam

Apol-

Apollini tribui posse existimabas, figuræ, obiter monui, quod Apollini, maxime Didymæo invisum Equum tradat Sextus Empiricus; neque, ἵππιος Equestris, *prout Neptunus, vel Minerva, aut* ἱππικὴ *etiam Diana, dictus legatur hic Deus. Ad primum quod adtinet, & in quo momentum hujus rei unice vertebatur, in eo utique haud difficulter adsensum præbes; ut nempe Battus, vel e Battiadis aliquis, verius quam Apollo, in eo Cyrenæorum nummo designetur. Quo ipso tamen petita inde a te pileati seu petasati in Ætolorum nummis Apollinis probatio vel Conjectura, ut vides, omnino evanescit. Quod* ,, *vero addis, ad Sexti adsertum, quomodo Equus negari posset, te non videre, neque ego illud, quod ais,* Sexti, *nempe Empirici* adsertum *præstare debeo, qui obiter tantum, & iis quidem* (a) *verbis, quæ ad id me haudquaquam adstrictum teneri satis arguunt, memineram; neque aliud etiam innuit Sextus, eo quem indicaveram, loco, nisi ut ipsa ejus verba referam, ne quidquam iis de meo adsuisse videar; nempe Equo litari Neptuno,* Apollini autem maxime Didymæo animal hoc invisum, Ἀπόλλωνι ᾗ ἐξαιρέτως τῷ Διδυμαίῳ τὸ ζῶον ἀπεχθές. *Quo respexerit, dum hoc traderet gravis & præclarus, ut eruditis notum, Auctor, haud ita forte liquidum. Exstant quidem etiamnum Didymei hujus apud Milesios, ut notum, culti, in nummis illius urbis antiquis simulacra, in quibus utique Apollo hic nudus stans, dextra non Equum, sed vel Cervulum, sicuti alibi apud Seguinum, sinistra vero Arcum, aut utraque manu, ne de aliis adhuc Symbolis dicam, Lyram tenet, & in quibusdam nummis cum inscriptione ipsa* ΔΙΔΥΜΕΥΣ ΜΙΛΗΣΙΩΝ, Didymeus Milesiorum; *qualem sub Caligula cusum, & quem in* Gazæ

(a) Mitto quod Apollini maxime Didymæo invisum Equum apud Sextum Empiricum observasse memini.

Hypoth. l. III. p. 156.

Select. Num. p. 121. prim. ed.

Gazæ Gallorum Regia versare nobis licuit, jam vulgavit celeberrimus ac bene de præclaris hisce studiis meritus Patinus. Διδυμεὺς *enim &* Διδυμαῖος *ut supra apud Sex. Empiricum, & quod obiter observo, ex æquo dictus, ut notant veteres Critici, hic Apollo. Immo non Milesiorum solum, sed aliorum insuper locorum nummi, ejusdem Didymæi Apollinis simulacra nobis etiamnum exhibent; qualis & e maximorum genere sub Caracalla ab Egialensibus, sicuti præfert ipsa nummi inscriptio, signatus, exstat itidem in eodem Cimeliarchio Regio. Inde non* Διδυμαῖον *solum, seu* Didymeum *dictum, Dei illius nobilissimum simul & vetustissimum, ut vel e* (a) *Pausania,* & (b) *aliunde liquet, Templum; sed* Διδύμεια *insuper, festum apud eosdem Milesios, in honorem hujus Didymæi Apollinis celebratum; cujus occurrit mentio in Marmoribus Arundelianis,* ΜΕΙΛΗΤΟΝ ΔΙΔΤΜΕΙΑ, Miletum Didymea. *Neque vero hæc turbant, quæ de Didymæi hujus cognominis Apollini tribunti significatione e Macrobio memoras; inde nempe, ita „ appellati, quod geminam præferat speciem, tum propria „ luce, tum ea, quam Lunæ impertit. Unde, quod ais, pla„ num sit, hunc Didymæum antiquis pro Sole habitum: Soli „ autem, quod paullo ante dixeras, Equum sacratum; „ immo quamquam Sol cum Apolline idem vulgo statui„ tur, non te de quovis Apolline, sed de Solis Auriga, in Conjecturis tuis esse locutum. Ad Didymæum quod spectat, mitto, quod alia hujus appellationis ratio, e* (a) *Callimacho &* (b) *Stephano eruitur; nempe quod Jovi & Apollini sacrum esset Templũ illud ac Oraculũ; aut quod juxta* (c) *Lucianum, ita e Geminis cœlestibus sit dictum. Neque illud moror*

quod

Numism. Imperat. p. 94.

Διδυμαῖος Ἀπόλλων καὶ Διδυμεύς. Etym. M.

(a) Lib. VII. p. 344.

(b) Curtius l. VIII. C. v. Sueton. in Cajo C. 21.

pag. 75.

Saturn. l. 1. C. XVII.

a Καλλίμαχος, Φοῖβέ τε καὶ Ζεῦ Διδύμων γενάρχα. Etymol.

(b) in Διδυμαῖος.

(c) in Διδυμα. de Astrolog.

quod Didymæi hujus Apollinis superstes etiamnum in commemoratis paullo ante nummis simulacrum, non Solis in iisdem consueta, radiati nempe (si unum forte excipias adlatum a Seguino nummum) capitis, illiusque in quadrigis, ut plurimum stantis, Globo præterea & Flagello armati Symbola; sed Apollini demum, aut Dianæ, in antiquis id genus monumentis, propria & consueta demum præferat. Illud vero, qui nondum ære lavantur, haud nesciunt, non a Mythologis solum, qualem se passim toto illo Saturnalium libro præstat Macrobius, sed ab aliis quoque priscis Auctoribus, Apollinem, ceu Phœbum eundem cum Sole statui, ac eadem utrique Symbola, easdemve nomenclationes subinde tribui. Memini equidem ante paucos annos, quum in Galliis publico nomine agerem, forte tum in aula Regia, ea de re in prandio apud Excellentissimum Heroem, magno nuper litterarum & bonorum omnium luctu defunctum, MONTAUZERIUM, litem a primaria Matrona, Herois illius filia, ita ferente occasione, motam; ac inde etiam scriptis, quamquam non vulgatis, diversæ ea de re sententiæ adsertorum agitatam: dum hi patrocinante iisdem & scribendi Auctore MONTAUZERIO, eundem omnino cum Sole Apollinem, ac unum proinde e duobus illis Numen a veteribus perpetuo habitum; alii vero eosdem, ut duo diversa aut distincta Numina, subinde in antiquorum libris aut monumentus tradi, contenderent. Quum autem haud in eo valde laborandum ducerem, quid ea de re e Gentilium libris,

sci-

ſcitis, & quæ ſuperſunt, ſimulacris ſtatuendum ſit, immo inde omnino conſtare, cum pro eodem ſæpe in hiſce monumentis, ſicuti & apud Autores antiquos, haberi utrumque illud Solis & Apollinis numen, quod vel veteres, ut alios mittam, Deliorum nummi, cum radiato Apollinis vel Solis in Bigis ſtantis capite, ac inſcriptione ΔΗΛΙΟΣ *abunde arguunt; tum, diſtingui eosdem ſæpius ſymbolis, geſtis, inſignibus, cultu Id autem factum juxta ortas e diſputatione de Diis, veteres ac diſcrepantes de iis opiniones ac fabulas, ſicuti præclare obſervat gravisſimus*

Lib. X. p. 474. *Auctor Strabo, dum inquirit in diverſas veterum ſententias, cauſſamque illius varietatis, ſecundum* quam Cu-

Ibid. p. 464. retes, Corybantes, Cabiri, Idæi Dactyli, *modo pro iisdem, modo pro cognatis inter ſe Geniis aut Numinibus fuerint habiti. Quæ ingens opinionum & fabularum varietas, in hac etiam amplisſima veteris omnis elegantiæ & memoriæ penu ſpectatur, ubi plures gentium Dii, modo pro iisdem, ſecundum Theologorum inter ipſos Gentiles aut Philoſophorum de iis ſcita, modo juxta vulgatas de iis fabulas, ut diverſa ſubinde Numina ſignantur. Adeo quidem, ut quæ uni ex iis in antiquis monumentis tribuuntur, haud alteri nominatim adſcribi ac imputari continuo debeant; quamquam alio a ſymbolicis interpretibus ac Mythologis trahi ſubinde eadem poſſent. Ita, ut de aliis ſileam,* Rheam, Cererem, Veſtam, Opim, ac Iſim *inſuper, quæ pro uno eodemque* Telluris *ſeu rerum hujus univerſi Naturæ numine, in veterum* θεολογȣμένοις, *uti notum, recenſentur; tanquam diverſa tamen Gentium Numina, cum diverſis proinde appellationibus, typis, ſymbolis, ac ut dici ſolet, attributis, ſecundum traditas ſcilicet peculiares de ſin-*

singulis fabulas, aliosque natales, & dissimiles casus, in veteri nummorum penu exhiberi passim haud ignoras. Qua ratione etiam factum, ut hinc Citharœdus; hinc Arcitenens; hinc Lauro, non Radiis, ut plurimum, coronatus; aut Columnæ vel Tripodi innixus, aut quandoque eidem Tripodi insidens, non gradiens proinde vel aurigans, qui consuetus alioquin Solis typus, in Nummis ac Statuis antiquis Apollo spectari soleat; idemque vulgo habitus fuerit Jovis & Latonæ, non Hyperionis & Theiæ, juxta Solem, filius; tum idem modo e Cœlo exul; modo apud Admetum aut Laomedontem serviens, & in ædificandis Trojæ muris cum Neptuno mercenarias operas præstans. Quæ utique Mythologis quidem licet, ut ingenium & ἀγχίνοιαν probent, ad Solem, si velint, revocare; sicuti ut alia hujusce generis nota & trita hic mittam, omnes Deos referri ad Solem Saturn. l. I. c. XVII. & seq.
contendit eodem libro Macrobius, ac inter alia, Solem &
Bacchum, *pro eodem Numine, quod antea tradiderat Dio* Orat. XXXI.
Prysæus, habendos statuit. Cui rei, quod obiter addere liceat, præter ea, quæ apud τὸν παραβάτην *in oratione de Sole, ea de* 42. Julian. Imp. Orat. IV. p.
re leguntur, suffragatur eximius Rhodiorum nummus a me 269.
haud semel in præclaris Cimeliarchiis visus, in quo caput Solis Hedera coronatum visitur. Ita factum, ut a gravissimo auctore Plutarcho, quæri libro de Pythiæ O- p. 400. ed. Wedul.
raculis videas, an, Sol *diversus ab* Apolline *Deus habendus sit; ibique continuo responderi,* omnino sicut Luna a Sole differt; *alibi autem, libro nempe de Oraculorum defectu, ab eodem tradi, a* multis ex antiquioribus *(ergo* pag. 433.
non ab omnibus) statui unum eundemque esse cum Sole Apollinem, ὅθεν οἱ πολλοὶ τῶν προγενεστέρων ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ἡγοῦντο θεὸν Ἀπολ-

λωνα καὶ Ηλιον, *quod iterum in ſequentibus innuit, ac unde etiam iis verbis libro illi finem imponit, ut in aliud opportunius tempus ea rejiciat, quæ de* Sole & Apolline *dubia explicanda haberet Philippus, cui juxta Ammonium de hisce diſſerendi partes ibidem Plutarchus tribuerat.*

καὶ ὁ Φίλιππος περὶ ἡλίου καὶ Ἀπόλλωνος. p. 497.

Lib. XII. p 945 946. 947. edit. Steph.

Ita a Platone libris de Legibus, commune quidem Templum & communes Sacerdotes Soli & Apollini, *nempe ut* Συνάοις & Συμβώμοις, *quod aliis etiam Diis factum conſtat, ſed ut duobus tamen, quamquam ejusdem virtutis numinibus, adſcribi videas. Sicuti etiam* Apollo Soli συμβασιλεύων, *ſeu* Regni conſors *a Juliano Imperatore dicitur. Unde apud antiquiorem iisdem Æſchylum,* Sol & Apollo, *ut propinqua, ſed diverſa tamen Numina invocantur,*

Orat. IV. p. 295.

Suppl. v. 221.

Καλοῦμεν αὐγὰς ἡλίου, σωτηρίους,
Ἁγνόν τ' Ἀπόλλω, φυγάδ' ἀπ' οὐρανοῦ θεόν.

Invocamus radios Solis ſalutares,
Caſtumque Apollinem, exulem a Cœlo Deum.

ὁρᾷς τουτονὶ τὸν ἥλιον τὸν πρόγονον τοῦ Ἀπόλλωνος. Orat. XXVI. p. 330. ult. ed.

Qua ratione etiam factum, ut Sol Apollinis progenitor *alicubi a Themiſtio vocetur. E quibus, ut alia mittam abunde liquet, eſſe quæ in nummis & monumentis aliis antiquis, & de quibus obiter paullo ante, tanquam* Soli *propria quodammodo, non vero* Apollini, *ac viciſſim tribuuntur; & quæ proinde in iis explanandis, maxime ubi quis juxta litteram, ut dici ſolet, interpretis, non vero mythologi munere fungitur, cautela & circumſpectio adhiberi omnino debeat.*

Quod vero addis ibidem, dum Cyrenæorum nummum ad Apollinem refers, „ *te non de quovis Apolline,* „ *ſed de Apolline Solis Auriga loquutum, ſicut id poſtremum, unde hauſeris, & quam vim hic habeat, mitto, ita*

illud

illud novi, neque ipse, ut opinor, diffiteberis, Solem ipsum eo Aurigæ munere vulgo in nummis antiquis, qui illum signant, fungi, flagello, inde ut supra jam monui, in iisdem armatum; immo qui hinc διφρευτὴς etiam, alicubi διφρηλατῶν, seu auriga, vel aurigans a Sophocle haud uno loco dicitur. Ajac. v. 873. Ibid. v. 860. Immo neque vulgo Equo vecti veterum Aurigæ, sed Bigis vel Quadrigis insidentes, aut in iisdem stantes, quod vel nummi antiqui si alia deessent noti alioquum ritus documenta, abunde comprobant, currum regere soliti, Unde etiam legas alicubi apud Dionem oris aurei, tradi ab omnibus Poetis & conjugatos Equos & Solem ipsum currui insistentem, καὶ κατὰ ταῦτα πάντων ἐξηγουμένων ζευγνυμένους τε τοὺς ἵππους καὶ τὸν Ἥλιον αὐτὸν ἐπιβαίνοντα τοῦ δίφρου. Orat. XXXVI. p. 448. Adeo quidem ut ex illa vel Solis vel Apollinis, quam statuebas, aurigatione, nullum videas momentum accedere, quo Equestris in nummo Cyrenæorum figura ad Apollinem continuo referatur; immo unde illa tua ea de re conjectura non cadat potius & corruat. Idque eo manifestius, quod nullibi in monumentis illis antiquis, & in quo tamen cardo hujus rei vertitur, Equestris vel Solis vel Apollinis etiam figura hactenus mihi sit visa, aut ab aliis veteris hujus penus custodibus ac promicondis, quantum equidem sciam, tradita fuerit vel observata. Neque ideo tamen minus nota e Scriptoribus antiquis, quæ de sacris Soli, non apud Persas solum aut Massagetas, sed apud Græcos etiam Equis, eique immolari, sicuti a Laconibus in Taygeti vertice, solitis, iidem memorant; Strab. l. II. p. 513. Pausan. l. III. p. 101. aut vero quod de Equestribus Agonibus abunde constat, non Actiis tantum a te e Stephano adductis, & quæ cum apud antiquiores Auctores, tum in priscis quoque nummis, de quibus nos alibi,

bi, occurrunt, Actio *nempe* Apollini *sacris, sed Apollinaribus vel Circensibus, quos propius advocare huc poteras, Romanorum ludis, Tales enim in urbe Æterna cum Soli Invicto*

Orat. IV. p. 292.

sacri, prout monuit Oratione de Sole Julianus Imper. & quo respicere observo veteres aliquot numos, insignem inprimis Gazæ Mediceæ sub Probo cusum, in quo Sol in quadrigis Globum & Flagellum tenet, cum inscr. SOLI INVICTO; tum Græcis Ἀπολλώνια *ut ab Aristide alicubi nuncupati*

Serm. Sacr. IV. p. 582.

Apollinares *iidemque Circenses Romanorum ludi,* ἑορτὴν Ἀπόλλωνος εἶναι Ἀπολλώνια, ἐν ᾗ τὴν ἱπποδρομίαν Ῥωμαῖοι ποιοῦσι τῷ θεῷ; festum Apollinis esse Apollinares, in quo Equorum cursum Romani Deo celebrant. *Ubi, quod obiter observo,* ἱπποδρομίαν *minus accurate per* Equiria *reddit Canterus, quæ tamen, ut vel*

(a) Varro l. V. de

(b) Fast. l. II. v. 321.

lib. XXV. c. 12.

ex (a) Varrone & Ovidio constat, non Apollini sed Marti sacra, nec in Circo maximo, sicut Livio teste Apollinares, *de quibus hic agit Aristides, ludi, sed in Campo Martio peragebantur. Præcipua vero ludorum illorum, ut notum, solemnitas in Bigarum & Quadrigarum cursu ceu Aurigatione posita, ac inde etiam iisdem Soli & Apollini dicati.*

Centaurum quod adtinet, qui in Gallieni nummo cum inscript. APOLLINI CONS. AUG. visitur, Arcitenens idem, quod memorari omnino hic opportuit, ac inde Arcitenenti Deo opportune ibi dicatur. Hinc votum

Justit. Cyr. l. IV.

olim Cyri apud Xenophontem, ut Persarum Equites pro totidem Centauris h.e. peritissimis Sagittariis haberentur; & similis etiam Centaurus in alio Galleni nummo occurrit, inscripto LEG. II. PARTH. seu Legionis Secundæ Parthicæ; *quo alioquin armorum seu militum, sagittariorum nempe genere, præstabant, ut notum Persæ, & eorum traduces aut Victores Parthi. Adde Centau-*

ros Sagittarios, non in Apollinis, sed Dianæ, a qua nempe venandi artem, juxta Oppianum edocti, tutela olim extitisse; unde de Capricorni signo Manilius, Κυνηγ. l. II. v. 6.

Venantem Dianæ virum, sed partis Equinæ, lib. II. v. 443.

quod ad præclarum quendam Trajani nummum, in quo duo Centauri, Alatæ Deæ ejusq; Arcitenentis currum trahunt, erudite jam monuit Tristanus. Nihil vero hæc, quod agnosces opinor, ullatenus juvant, ut Equestris Apollinis, neque illius Arcitenentis figura, in Cyrenæorum nummo signari existimetur. Ut mittam in residuis etiam nummorum marmorumve veterum monumentis, observari haud semel Liberum Patrem, quod tradit itidem in Dionysiacis Nonnus, a Centauris, vini, quod aliunde etiam constat, potoribus strenuis, ductum. Romæ equidem in Hortis Montaltis, & sicut inter Admiranda veteris Romæ a peritissimo talium J. P. Bellorio editis ac illustratis videas, Dei illius currum trahunt duo Centauri, non Sagittarii equidem, sed quorum alter Lyram tenet, alter solito Bacchantium ritu, duas inflat Tibias; ut summos non venandi solum aut bibendi, sed Musicæ etiam artifices noris. Ut nec mirum proinde sit, cur Achilles, cum (a) medendi, tum ad (b) Citharam canendi artem, a Centauro quippe' doctore eruditus, apud Poetam egregie calleat. Quibus accedat præclarus insuper Pergamenorum nummus, a me Parisiis in Schedis Morelli nostri, raræ industriæ viri, omnisque hujusce veteris memoriæ intelligentissimi observatus, in quo duo itidem Centauri impositum thensæ Æsculapium trahunt. Quod non mirabitur qui apud Pindarum legit, Pergamenum

Com. Histor. T. I. p. 405.

lib. XIV. p. 402

Admir. V. R. Tab. 54.

(a) Iliad. I. v. 830.

(b) Id. Il. l. v. 185.

Pyth. Od. III. p. 216. 220.

hunc Deum non alio nutritio aut doctore, quam Centauro
Chirone usum, a quo medendi artem didicerit.

Quia vero nec Ἵππιον seu Equestrem dictum eundem
(a) Pindar. Schol. Neuit. Od. I. (b) Id. Od. III. & Od. v. Isth.
Apollinem, juxta Neptunum, Minervam, aut (a) Ἱππικὴν
etiam quod superaddere liceat, vel (b) Ἱπποσύναν Dianam,
obiter indicaveram, id neque tu is inficias, talem hacte-
,, nus apud veteres non apparere hunc Deum; dictum
,, tamen eum in veteri Epigrammate Ἱπποκορυστὰν, h.e. Sca-
,, pula, quod ais, interprete, Equestrem Bellatorem. Addis
autem, ut hunc vocis illius usum firmes, ἵππον quidem Sui-
,, dæ in compositione interdum pro magno poni, sed apud
,, Homerum ἀνέρας ἱπποκορυστὰς, de Equitibus Galeatis, aut qui
,, Equis armatis utuntur, a viris non contemnendæ doctri-
,, næ explicari, & quibus etiam suffragetur Eustathius,
,, a quo ἱπποκορυστὴς ἤγουν ἱππότης πολεμιστὴς redditur. Ita ut
,, nullum tibi amplius dubium videatur, quin Apollo an-
,, tiquitus, si non Eques, tamen quod magis est, Eques
,, Bellator audierit, eoque etiam Bellatoris cultu apud Hie-
,, rapolitanos, teste Macrobio, idem Deus fuerit cultus.
,, De hisce autem, quæ a me dicta in superiori mea ad
te Epistola, nullatenus feriunt, possem facile tibi ad-
sentiri. Unum nempe & quidem obiter monueram,
non legi hactenus dictum aut cultum ab antiquis A-
pollinem Ἵππιον seu Equestrem, sicuti de Neptuno & Mi-
nerva (ut de Marte, Diana, vel Junone etiam ἱππεία
nihil dicam) factum constat. De Neptuno quidem
(a) Sept. Theb. v. 129. (b) Phœnis. v. 1701. (b) Oedip. Col. v. 715. ac. (c) lib. VII. p. 439.
Ἱππίῳ, res e priscis Auctoribus, (a) Aeschylo, (b) Euripide,
aliisque obvia; eoque inde dicto, ceu quod primus Equos
regere docuerit juxta (b) Sophoclem, Diodorum & his
suffragantem alicubi Pausaniam; aut quod juxta
Pin-

(d) *Pindarum, Equestrium certaminum fuerit inventor; aut juxta vetera ad Homerum* (e) *Scholia & Pausaniam rursus, ob ejus, ut fabulantur, cum Cerere Erinnye sub Equi forma apud Thelpusam in Arcadia congressum. Certe quæcunque ejus appellationis causa vel origo fuerit, Aræ* ἱππείῳ *Neptuno in* (g) *Attica & in* (h) *Elide sacratæ; tum quod hic magis ad rem facit, Equestris etiam ejusdem Dei Statua* (i) *Athenis erecta. Ut mittam, quæ apud Platonem in Critia leguntur, de Neptuni Templo, Sacello, Simulacro itidem Equo insidentis, seu* ἱππίȣ. *Et quo referre etiam licet, quod in Romanis Cæsarum nummis, Equus marinus occurrit cum eadem cæteroquin epigraphe, quæ supra Apollini, tribuitur,* NEPTUNO CONS. AUG. *h. e.* Neptuno Conservatori Augusti; *aut vero quod Bigis Equorum vectus apud Homerum alicubi legitur, & qualis utique in sequenti Marmore Manuscripti Pighiani, de quo supra, spectatur;*

(d) Oed. (e) ad Il. ψ 346. (f) l. VIII. p. 494.

(g) Pausan. l. I. p. 88. (h) Id. L. V. p. 316.

(i) Id. l. 1. p. 4.

Iliad. N. v. 23



quo-

Unde etiam Bigis vel Quadrigis decurrentes, per Neptunum adjurari videas, ut Antilochum a Menelao apud Poetam. Immo unde Equus tanquam Neptuno sacer signatur subinde in Nummis Urbium, quæ Neptunum vel Conditorem ac Præsidem loci Deum agnoscebant, aut ab eo erant denominatæ. Talis Posidonium *in Lucania, aut juxta Melam & Plinium in Brutiis, Græca olim, quod vel ex nomine ac* (2) *Scylace præterea liquet, Colonia; in cujus nempe urbis nummis, quales occurrunt apud Goltzium, spectatur Neptunus cum elato Tridente; in alio autem Equus currens. Sed cujus rei fidem luculentam faciet præclarus, qui a me præteriri hic non debet, Cimeliarchii hujus Electoralis nummus, forte mihi inter alios ejusdem Gazæ tibi commissæ, nuper te eos exhibente, inspectus, in quo hinc Equus currens, illinc quod præterea observo, Rosarium, cum nomine apposite omnino ad* Equestrem, *quem modo commemoravi,* Neptunum, *nempe* ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΣ,

γαιήοχον Ἐννοσίγαιον ὄμνυθι Iliad. ψ. v. 584.

πόλεις εἰσὶν Ἑλληνίδες, αἵ δε Ποσειδωνία &c. pag. 14.

Mag. Græc. Tab. 6. XXI.



Spectatur quidem inter alios Posidoniatarum *similis apud Goltzium nummus, cum iisdem nempe in utraque nummi area typis, sed ubi pro* ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΣ, *qui clarissime in hoc modo adducto legitur,* ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΑΤΑΝ *expressum occurrit, ac præterea additæ a tergo Equi litteræ* ΠΟΣΕΙ.

Ibidem

quæ

quæ in Electorali nummo non amplius comparent, nisi quod litteræ Π. *vestigium adhuc videas Quod vero dixi* Rosarium *in altera nummi parte signari, inde utique lucem mutuatur, quod hæc* Posidonium *eadem esset, ut ex Geographis antiquis aliisque Auctoribus constat, quæ dein a Romanis* Pæstum *fuit appellata;* (Vid. Strab. lib. V. Melam. lib. II. c. 4. Plinium lib. III. c. 5.) *nihil autem* Pæstanis Rosis *&* Rosariis *sit e Poetis, Marone, Ovidio, Propertio, Martiali, Ausonio, aliisque notius ac magis decantatum; adeo ut* eædem Pæstanæ Rosæ *in proverbium etiam abierint, teste alicubi Ovidio,* Pæstanas vincet odore Rosas, Quam tibi &c. (de Pont. l. II. El. IV.) *Neque vero, ut obiter hoc addere liceat,* Posidonium, *ob communem nominis originem, eadem cum* Neptunia, *Romanorum, & cujus unus forte meminit* [a] *Vellejus, Colonia, statui a diligentissimo alioquin* [b] *Cluverio, idque post Ortelium, qui dubitanter demum id tradiderat, debuit.* Posidonium *enim, quæ a Græcis* [a] *Sybaritis vel* [b] *Tarentinis condita ac denominata primum traditur, post deductam in eandem Romanorum Coloniam, mutato, sicut frequenter contigit, nomine,* Pæstum *ab eo tempore, nullibi vero* Neptunia *a Romanis dicta legitur; quæ postrema alio etiam tempore & quidem longe serius, sicut utrumque e Vellejo aperte liquet,* (lib. I. c. XIV. & c. XV.) *a Romanis fuit deducta. Sed hoc alterius loci. Sicut vero* Neptuni *de quo hic agimus,* Ιππεὶϛ, *sic* Minervæ *etiam* Ιππείας *seu* Equestris *Ara, juxta commemoratam supra* Ιππεὶϛ *illius Dei in Attica itidem, Aram, teste* [a] *Pausania, posita; ac ideo quidem,*

(a) lib. I. c. XV.
(b) Ital. Antiq. p. 1255.

a) Martian. Heracl. seu Scymnus Chices. a Strabo l. IV.
(b) Philargii ad Nirn. Georg. l. IV. v. 119

 aucto-

Hym. in Minerv p. 26. *Auctore Aristide, quod Erichtonius Minervæ alumnus primus Equos curru junxerit, ac Bellerophon Equi fre-*
Olymp. Od. XIII. v. 6. *num, indice etiam ejus rei Pindaro a Minerva acceperit. Unde &* Ιππεία *a Callimacho dicta in Poematio de Lavacro illius Deæ, immo quod huc propius spectat, inde*
Pindar. Pyth. Od. IV. ἔυιππος *alio apud Thebanum vatem modo commemoratum loco, seu* Equestres Cyrenæ, *quod nata fuerit in Libya Minerva* ιππεία. *Qualia equidem, si de* Ιππείῳ *seu* Equestri Apolline *apud Cyrenæos aut alibi etiam culto, dicta a veteribus fuissent, inde utique tua de Equestri ejus in Cyrenæorum nummo simulacro conjectura, modo insuper accessissent quædam solita Dei illius Symbola, locum habere potuisset. In eo enim vis tota illius, quamquam obiter a me adlatæ, ea de re notationis. Neutiquam vero, quod videris statuere, eodem redit, si* ἱπποκορυστὴς *in aliquo*
Anthol. l. I. c. XXXVIII. Ep. 12. *veteri Epigrammate , cum plena aliorum epithetorum congerie, dicatur forte hic Deus. Neque opus proinde, ut de varia vocis illius, quam tradidere veteres Critici, significatione essemus solliciti, aut ut eam, quam prætulit Eustathius, & quam amplexi sunt Latini Homeri, sed ubi nullus de Apolline sermo, interpretes, & quo auctore hic insuper uteris Scapula, convellamus. Quamquam alteram de* Galea cum setis equinis, *non omiserint iidem Critici, immo eam primo loco retulerit Criticorum eruditissimus Hesychius ,* ἱπποκορυσταὶ *(non ut ibi legitur* ἱπποκόρυστοι) ἐν ταῖς περικεφαλαίαις τρίχας ἵππων ἔχοντες, *seu* ἱπποκορυσταὶ, in Galeis setas Equinas habentes. *Unde etiam haud male a Latino Græci illius de Apolline, quod memoras, Epigrammatis, aliorumque in eadem* συλλογῇ *contentorum interprete, non de* Equestri, *sed de* Galeato *hoc Deo vox eadem*

dem ſumitur. Galeas autem ejusmodi cum ſetis equi-
nis conſuetas heroicis illis temporibus, abunde utique ar-
guunt dictæ inde paſſim apud Poëtam, (a) Κυνέη ἵππουρις,
vel (b) Κόρυς ἱπποδασεῖη; *vel* (c) ἵππειος λόφος, *vel* (d) ἱπποκόμος
etam πήληξ, Galea *nempe vel* Criſta cum ſetis equinis *ſeu*
equeſtris. *Illam autem quam e Suida refers,* ἵππου *in vo-*
cibus compoſitis pro magno *ſignificationem, cum lauda-*
tus modo (a) *Heſychius; tum veteres, quod obſervo, ad*
(b) *Sophoclem &* (c) *Ariſtophanem Critici haud ſemel no-*
taverunt; & quo ſenſu apud Atticos illos Auctores,
ἱππομανῆ, ἱππόβοτον, ἱππόκρημνα ῥήματα, valde furentem; læta ma-
gnopere paſcua; & verba valde confragroſa, (d) *Æſchyli nem-*
pe, ſeu ὑψίκρημνα, *qua voce uſus ipſe Æſchylus in Scho-*
liis apud Pindarum, (non ὑψίκρυμνον, *ut in iisdem legitur)*
& quo reſpexit omnino, ut obiter id monere liceat, Ari-
ſtophanes. Adde alibi apud eundem Comicum, κρόνιππον
h. e. juxta eruditos ejus (f) *Scholiaſtas,* μέγαν λῆρον, magnum
præ ſenio delirium; *apud Æſchylum in alio deperdito dra-*
mate, (g) θυμὸν ἱππογνώμονα, animum magnanimum, *&* ἱππόπορνον
apud Alciphronem de immani ſcorto, *ac apud* (h) *Athenæum*
de magno ſtupratore *dictum; ut voces* ἱπποσέλινον *&* ἱππο-
λάπαθον, *ad eum locum a magno Cauſaubono notatas hic*
prætereram. Unde agnoſces opinor hunc vocis ἵππου *pro*
magno *uſum, non unius equidem Suidæ, quem eam in rem*
memoras, auctoritate, ſed gravioribus haud parum cum
teſtimoniis, tum exemplis niti. Notus etiam ſimilis o-
mnino vocis βοῦς *in compoſitis apud Græcos vocibus pro*
magno *uſus; unde, ut alia mittam, idem Apollo* βούπαις
ab Apollonio Rhodio alicubi appellatus, h. e. juxta erudi-
tos ad eum Criticos, μέγας παῖς, magnus puer. *Adde, ut*

(a) Il. Γ. v. 337. & alib.
(b) Il. Γ. v. 369. oll.
(c) Il. Ο. v. 537.
(d) l. Π. v. 797.
(a) in Ἱππόβοτος.
(b) ἵππος γὰρ τὸ μέγα παρ' Ἀττικοῖς ad Ajac. v. 132. & 143
(c) Ran. p. 256.
(d) Ariſtoph. Ran. p. 255.
(e) Od. 1. Pyth.
(f) καθ' ἐπίτασιν τοῦ ἵππου. ad Nub. p. 184.
(g) in Schol. Sophocl. ad v. 143.
(h) l. XIII. p. 565.
lib. 1. v. 760.

nihil obstet omnino, quin vox illa ἱπποκορυστὴς *de Apolline dicta, eandem etiam ibi vim obtineat; immo quod non suadeat omnino, formata ad eum modum vox* χαλκοκορυστὴς, *eidem Poëtæ itidem haud infrequens, de* gestantibus æreas Galeas. *Ni malit forte quispiam, ut eadem vox in Græco Epigrammate, non* Equitem *adeo Apollinem, qualis nuspiam in monumentis antiquis Sol aut Apollo, uti diximus, comparent, quam* διφρευτὴν *seu* ἁρμηλατοῦντα, *Bigis nempe aut Quadrigis vectum, denotet; sicuti* ἱππικὴ, ἱπποσύνη, ἱπποδρομία *passim de curulibus Bigarum vel Quadrigarum agonibus a Græcis auctoribus, uti notum, dicuntur. Quod quin Soli vel Apollini, cui Agones etiam id genus, uti vidimus, sacri, conveniat, tu ipse, ut opinor, haud diffiteberis, mi BEGERE. Neque ignoras Heroas Homericos ad Trojam, quamquam e curru pugnantes, dici ab eodem Vate* ἱπποδάμους *vel* ἱππιοχάρμους, equitandi peritos, *vel e-*quis gaudentes. *Unde etiam, quum voce* κελητίζειν *ali-*

Iliad. O. v. 679. *cubi usus esset Homerus, de eo, qui decurrentibus quatuor Equis desultoriis, modo in unum ex iis, modo in alterum currendo ipse insiliret, notant ad eum locum veteres Grammatici, id per anachronismum a Poeta dictum; neque enim Heroas illos habuisse tum Equos desultorios, seu singulari Equo decurrisse, posterius id fuisse inventum*, κέλητες γὰρ οὐκ ἦσαν παρὰ τοῖς Ἥρωσιν ἀλλ' ὑστερογενὲς τὸ εὕρημα; *& sicut alii rursus ad eum locum Critici observant*, ἐπεὶ τὸ παλαιὸν ὡς ἐπὶ πᾶν τοῖς ἅρμασιν ἐχρῶντο; quandoquidem antiquitus quasi semper Curribus utebantur. *Mitto hic vero, quod de Bellatore, de*

vid. Eustath. p. 1037.

in Schol. Didym. ad Il. O. v. 679.

de quo jam ante & Barbato insuper apud Hieropolitanos Apolline e Macrobio memoras ; quorum prius vel e navata scilicet ab eodem Deo Trojanis in Ilii obsidione, strenua haud semel opera, abunde firmatur ; ubi tamen idem haud Equo vectus, sed modo ante [(a)] Hectorem gradiens, humeris nebula, ne videri posset, circumfusus ; modo [(b)] labra fossæ, non Equo, sed pedibus dejiciens ; modo in [(c)] summa Trojæ Arce stans, propellens & deturbans ab Ilii muris Patroclum ; modo [(d)] turbæ etiam bellantium immixtus & Hectoris adjutor, eidem [(e)] Patroclo arma a capite & humeris detrahens ; modo contra [(f)] Neptunum Sagittis armatus, pro Trojanis stans ; nuspiam autem Eques aut in Equo pugnans ; immo neque Bigis Equorum, sicut alibi, & quod paullo ante vidimus, apud eundem Vatem [(g)] Neptunus, insidens legitur. Barbati vero ejusdem Apollinis apud Hieropolitanos simulacrum, non Macrobius tantum, sed ante eum Lucianus tradiderat ; ita vero, quod de reliquo etiam illius Dei cultu supra vidimus, ut solis, eodem Luciano teste, Syris proprium illud esset ac peculiare ; & quale alibi nuspiam occurreret. Adde quod neutra hic, nec armati scilicet aut bellatoris, nec barbati, in hac Equestri Cyrenæorum figura, sed pacati & imberbis ac Petaso tantum a tergo, Viatoris instar, muniti Equitis effigies occurrat.

Saturn. l. I. c. XVII.

(a) Iliad. Ο. v. 307. & Π. v. 790.

(b) Iliad. Π. v. 356.

(c) Ib. Π. v. 700

(d) Ibid. v. 729.

(e) Ibid. v. 739. & 804.

(f) Il. Υ. v. 68.

(g) Il. N. v. 23.

de Dea Sym.

Quod autem in hisce a de adductis & modo a me expensis tibi licuisse existimas, aut vitio verti non pos-
» se, quod ex apposito Solis sidere, Petasoque in Apol-
» linis simulacris jam viso, Apollinem ipsum in hoc Cy-
» renæorum nummo signari posse conjeceris, de cætero

,, *facile te descensurum, si aliquis non hunc, sed ejus*
, *cultorem statuere voluerit; neque, ego utique, dum postremam hanc de eo nummo sententiam, Batto scilicet aut uni e Battiadis eundem nummum tribuendi, ob rationes adlatas, prætuli, ideo id magnopere culpandum censui, quod de Apolline ibidem signato conjeceras. Quæ mihi verior visa est de eodem opinio, vel, si vis, conjectura, ac aliis Cyrenæorum nummis, traditæque de iis origini, & præterea in Equestribus agonibus peritiæ, ac figuræ in eodem nummo expressæ consona; neque aliena etiam ab ea quam in Thesauro tuo Palatino de hoc ipso nummo protuleras, paucis tantum & amice, te occasionem ejus rei præbente, indicaveram. Neque aliter umquam cum præclaris hisce & reconditis sæpius antiquitatis studiis comparatum credidi, quam ut libere suum cuique de iis judicium promere, & ab altero, amice modo ac honeste, dissentire, non impune solum, sed opportune etiam, & ad majus faustumque priscæ eruditionis incrementum, liceat. Qui aliter sunt adfecti, ac modeste explorateque a se de talibus dissentientes non ferunt ac maledictis etiam, quod fieri sæpenumero contigit, insectantur; quid aliud iis, amicissime* BEGERE, *quam sedatam mentem, humanitatisque & communium sacrorum, quibus initiantur Musarum Mystæ, magis memorem optare continuo liceat? Neque sat scio a tali animo vel consilio profectum reputabis, si haud inde omnino, quod arbitrari tibi utique licuit, sequi existimavi, & adhuc censeo, ut ob appositum in*

Cyre-

Cyrenæorum nummo Solis ſidus, ideo Equeſtris figura viatoris habitu in eodem ſignata, ad Apollinem referatur. Quod, ut alia mittam, & ab uſu veterum id genus nummorum, in quibus Sol tali ſidere haud ſemel denotatur, alienum; nec aliis inſuper Cyrenæorum, qui ſuperſunt etiamnum nummis, conſonum. Battum equidem, primum duce Apolline Cyrenarum conditorem, ac inde ſacrum Apollini locum, nullumque Numen ſanctius (cui addendus inſuper, quod vel Cyrenæorum nummi adhuc arguunt, Juppiter Ammon) ibidem a Battiadis, primi nempe illius Batti ſucceſſoribus, cultum, adlato eam in rem ampliſſimo Cyrenæi vatis teſtimonio, comprobaveram. Addideram præterea, eosdem Battiadas, a ſingulari erga Equeſtres ceu Curules agones ſtudio, & in iisdem petitia, quod vel e Pindaro liquet, olim commendatos; unde & ab eodem Pindaro Cyrenas Pyth. Od. IV. ἐυάρματον πόλιν, currubus præſtantem civitatem *vocari videas, idemque teſtimonium de Cyrenæis ab Ephoro alicubi apud Stephanum Byzantium perhiberi*, Κυρηναῖοι δὲ περὶ τὴν διφρευτικὴν ἐπιστήμην ἠσχόληνται; Cyrenæi vero circa curulem artem ſe exercebant. *Mitto quæ & ipſe de Cyrenis* διωξίπποις *ſeu Equeſtribus, & earum in Equis alendis præſtantia, obiter ex eodem & Strabone nunc commemoras. Unde nihil mirum utique, Equeſtrem figuram in nummo horum Cyrenæorum ſignari; ſeu, prout ſtatuebam, Battus primus Coloniæ & quidem ſub Apollinis, uti diximus, vel Solis auſpiciis conditor; ſeu e Battiadis aliquis ad Agones* ἱππικοὺς *profectus, credatur; ſeu denique Equeſtris Cyrenæorum peritia, ac in Equis alendis ſtudium ſingulare, eo ſymbolo duntaxat denotetur. Ita haud abſimi-*

similis, quod opportune hic mihi occurrit, Cyrenæorum nummus in Gaza Gallorum Regia, in quo Eques similiter in prima nummi area, in altera vero Silphium, decantata ibidem, ut aliunde notum, planta & in urbis illius, quod monuerunt jam veteres Critici, ac alibi vidimus, nummis signari solita. Diss. de Præst. Num. p. 254 &c *Quod de Batto itidem, sicut a nobis etiam tum monitum, iidem observant Critici, & firmat inter alios insignis inprimis Palatinæ olim, nunc Electoralis hujus Gazæ nummus, a te in Thesauro Palatino vulgatus, in quo illinc Cyrenarum, aut uti conjicis, Cyrenæ Nymphæ turritum caput cum littera illius urbis initiali K, hinc caput imberbe diademate cinctum, cum duabus litteris B A. seu* Battus. *Addo hisce insignem & rarissimum Cyrenarum nummum in Gaza Medicea exstantem, in quo figura non Equo quidem vecta, sed Equum dextra tenet, læva vero Sceptrum gestat. Neque vero pro eodem, quod ibi tamen innuis, continuo habendum liquet; Apollinem, aut vero ex ejus, in loco ei sacro, cultoribus aliquem in nummo illo, de quo agitur, expressum statuere; maxime ubi inde de petasato ibidem & in aliis Ætolorum nummis Apolline argumentum aut conjectura petitur, Cui rei tamen nullum, ut vides, fulcrum aut subsidium accedit, si non Apollo, sed alius ibi a Cyrenæis depictus statuatur. Quia autem redis denuo ad Sexti Empirici, ut ais,* assertum, *de eo utique obiter a me, uti supra vidimus, adducto, nollem anxie, quo jure, aut qua injuria id ab eo dictum fuerit, laborare. Verba ipsa præclari alioquin & accurati valde Auctoris supra retuli, quæ id omnino, quod a me traditum*

inde

inde fuerat, produnt. Qua mente aut quibus rationibus inductus id ab eo dictum fuerit, haud liquere satis hodie supra innui; nisi quod illud Equorum odium, maxime Apollini Didymeo tribuat. In Didymei vero hujus commemoratis ante, quæ veteres exhibent nummi, simulacris, pedestris idem, ut solet, hic Deus; nec Equum, quod & ei alibi in omni hac penu insolitum, sed vulgo Cervulum tenet. Varia autem esse κειτήλια *haud ignoras, quibus Gentium Dii in Nummis & Marmoribus antiquis designantur; & unde etiam vulgo de singulis, seu quibus Numinibus tribui eadem debeant, haud dubium vel incertum licet, ut plurimum, judicium ferre. Vel enim cum notis aliunde singulorum symbolis ac typis, & addito insuper subinde ipso Numinis nomine signantur; vel si forte insolitum præferunt cultum, ipsa exstans in nummo Dei epigraphe, aut alia simul addita & nota quidem illius symbola, aut vero clarissima veterum ea de re testimonia, eundem facile produnt. Quæ multis liceret hic mihi ac indubiis, petitis ex eadem hac veterum nummorum penu exemplis illustrare, ni jam præter omne hujus institutæ scriptionis consilium, longius hic essemus immorati.*

III. De AMISENORUM numo cum Galeato Capite & Pegaso.

TRANSIS *inde ad tuam de Pallade vel Amazone, in Amisenorum nummo expressa conjecturam, quam pluribus, & quidem de Galeata in eodem Amazone confirmare adgrederis. Neque certe id me invito vel reluctante, qui plurima*

etiam argumenta & testimonia, ultro congresseram, quibus utramque illam tuam, eamque postremam inprimis, de Amazone ibidem signata opinionem, adstruerem potius ac illustrarem. Hinc utique Amisum, a cognomine olim Amazone conditam, e veteri eoque insigni apud Cl. Patinum nummo, non vero inde quod conjecerat vir eximius, suffragante eidem postea eruditissimo P. Petito, a Smyrna Amazone, monueram. Addideram

Obs. p. 11. opportunam eam in rem, neque a te præteritam locorum viciniam ac situm; Themicyram quippe Amazonum sedem in Amisenorum regione, & iisdem quidem ver-

lib. XII. p. 547. bis, aperte a Strabone collocari. Qua occasione simul il-

Ibidem. lud obiter, & ex alio ejusdem Strabonis loco, a te itidem in Observationibus tuis indicato, monueram, ne, quod suboriri inde dubium posset, dissimularem; Amazonum nempe Galeas e ferarum exuviis, & quidem juxta Hesychium. leoninis, perhiberi. Haud eo minus tamen in sequentibus, usitatas, quales præfert nummus, de quo agebatur, Amisenus, religatas nempe sub mento Galeas, gestasse olim gentes a Ponto haud dissitas, ex residuis etiamnum veterum monumentis docueram. Ut alia nunc mittam, quæ ad illam Amiseni nummi Galeam, cum facie non clausa vel tecta; eandemque præterea sine Crista aut pinnis; aut vero sine cælato ullo in eadem Casside, (consueto alioquin, quod vel antiqui Græcorum nummi arguunt, ritu,) insigni, ad pleniorem Galeati illius capitis illustrationem, obiter fuerunt a me animadversa, Adeo quidem, ut iis etiam verbis totam meam de eodem notationem absolverem; galeatum nempe caput in anteriori nummi illius Amiseni area, vel ad

Pal-

Palladem [a] quod nempe urbs Attici generis, aut [b] Colonia Atheniensium, ac [c] Piræi proinde nomine dicta fuerit Amisus, juxta veteres, quos obiter tuisque & Nonnii insistens vestigiis, innueram Autores; aut vero ad Amazonem aliquam illius tractus referri posse haud incommode. Quibus utique haud alienum me, sed paratum potius tuæ illius de hoc nummo conjecturæ vindicem illustratoremque præbui. Ut proinde, quæ eidem ulterius firmandæ stabiliendæ-ve nova tibi comparasti subsidia, haud impugnare mihi sit necesse, sed iisdem potius me simul tecum circumsepire ac tueri.

a) Appian. Mithrid. p. 173.
(b) Arrian. Perill. Ponti Plutarch. Lucull.
(c) lib. XII. p. 577.

Exuvias equidem ferarum, loco Casidis olim fuisse; Trojano autem bello, mixtum jam exstitisse, quod ex Homero liquet, earum usum; qui cum Casidis æneæ, tum alibi Galeæ e pelle meminerit, vere utique observas. Hinc utrumque passim apud Poetam obvium, qui ut de postremis loquar, & quod jam monuit Lipsius, Galeas e Mustela, Cane, Tauro, Capra, ut nihil dicam de Cristis, quod supra vidimus, cum setis vulgo Equinis, haud semel memorat; aut quæ de Leonis, Pardi, Ursi, Lupi, ac Vulpis etiam pellibus ad idem capitis tegmen adhibitis, aliunde etiam, & e Poëtis potissimum antiquis, Græcis ac Latinis, quibus immorandi hic non est locus, constat. Verum non ideo, quod ibidem statuis, Galeæ e pellibus, seu exuviis idgenus, sequutis ætatibus, continuo ac ubique fuerunt abolitæ; nec proinde valida sunt ac firma, quæ Straboni vel Hesychio, de ferinis ceu Leonis Amazonū Galeis agentibus, cum galeato in Amisenorum nummo Amazonis capite, conciliandis, a te sunt ibidem adlata: ,, Nempe duos illos Auctores de antiquissimis temporibus

De Mil. Rom. l. III. Dial. I.

,, *loquutos, quibus ferarum exuviæ, quod paullo ante*
,, *dixeras, loco Cassidis fuerint; Galeam autem æream,*
,, *quæ in nummo visitur, ea tempora respicere, quibus a-*
,, *nimalium exuviæ jam in æreas Cassides fuerant muta-*
,, *tæ. Quæ an* facilis sit, *quod arbitraris, Strabonis & Hesychii cum nummo illo Amiseno* concordia, *haud parum ambigo, mi BEGERE. Obstat enim continuo, quod post receptas longo usu æreas Cassides, & sequutis quidem longe bellum Trojanum temporibus, haud proinde desierit omnis ille Galearum e pellibus ceu ferarum exuviis usus, immo idem a pluribus etiam gentibus ad seras usque ætates fuerit firmiter retentus. Neque etiam id arguunt quæ adsert, & quo auctore vel teste niteris, Alexander ab Alexandro, variarum gentium Galeis id genus utentium, exempla, immo contrarium potius evincunt; dum vel Æthiopes Leonum & Pardorum pellibus, puta in Xerxis contra Græcos exercitu armatos; vel Thracas, Galeas gestare e pelle vulpina; vel Albanos & Hiberos cum ferinis Galeis; vel Cimbros & Teutonas cum horrendis animalium hiatibus in aciem contra Marium prodiisse idem memorat; quæ ex Herodoto non solum, quod jam viderunt ad illum Parthenopæum Jurisperitum viri docti, sed recentioribus longe scriptoribus, Strabone, Plutarcho, aliisque id genus, quamquam præteritis eorum nominibus, ab eo sunt ibidem hausta. Adde Græcos etiam subinde, sicut montanos Arcadas, quos in bello Messeniorum contra Lacedæmonios, Luporum & Ursorum exuviis armatos depugnasse tradit alicubi Pausanias.* Lib. IV. p. 237. *Immo quod propius huc spectat, non Thracibus solum exuviæ id genus, ut modo vidimus, pro Galeis*

adhibitæ, sed Mosynoeci etiam **Ponti** *accolæ nec ab Amazonum solo dissiti, coriaceis itidem, Paphlagonum ritu, juxta Xenophontem, ejus rei non Scriptorem solum sed testem luculentum, usi leguntur.* Ἀναβ. I. V. p. 352. *Adeo quidem ut nihil in eo cultu, ceu ferino, quod Strabo & Hesychius Amazonibus tribuunt, capitis tegmine, a* Thraciis *illis, quales olim eædem dictæ, Virginibus alienum occurrat,* Virgil. Æn. XI. v. 659. *immo quod ad sera usque earum tempora pertingere omnino non potuerit. Ne hic denuo superaddam, recentiora adhuc longe, nec dubia ejusdem ritus, quæ jam superiori ad Te Epistola indicaveram, vestigia; eodem nempe Leonino capitis tegmine, loco Galeæ armatos occurrere Romanarum Legionum Signiferos & Aquiliferos in Columna Trajani, aliisq; Dacicæ Victoriæ monumentis etiamnum Romæ in Arcu Constantini obviis, ac inde vulgatis a* Vid. Admirand. V. Romæ T. XI. *viris præstantibus. Immo cujus haud aboliti in Europa vel Asia ritus exempla, clarissime hodie ante oculos ponunt, non antiquiorum solum Alexandro Macedoniæ Regum Archelai, Amyntæ, Perdiceæ, Philippi, aut vero ipsius Alexandri, neque unius inter ejus Successores nummi. Cujusmodi utique e Seleucidis, primi Seleuci Nicatoris, Alexandri I. infelicis item, qui ab Antiocho magno defecerat, Regis quoque nomine adsumpto, Achæi; ac similiter Cassandri, Lysimachi, Meleagri & aliorum capita, Galeæ aut Diadematis loco,* Vaillantii Histor. Reg. Syriæ p. 151. *leoninis exuviis, quibus scilicet se pro veris Heraclidarum posteris vel successoribus venditarent, tegi in eorum Nummis videas. Adeo quidem, & quod ipse haud invitus, ut opinor, agnosces, alio sit omnino confugiendum, quo Strabonis & Hesychii, cum Galeato in Amisenorum*

capite, concordia *ſanciatur*, *quam ut ad ea tempora*, ,, *quod ais, nummus ille reducatur, quibus Galeæ pelli-* ,, *ceæ in æreas abierunt. Immo hæc ſcripſeram, quum inſpecta opportune Goltzii, in qua hoſce* Amiſenorum *nummos refert, Tabula, poſtremo inter eos loco adductus occurrit nummus, in quo muliebre caput cum leonino capitis tegmine, in averſa autem nummi area, Victoria, conſueto ejus typo, gradiens cum corona & palma viſitur, ac inſcripto urbis nomine*, ΑΜΙΣΟΥ, Amiſi, *ſicut depromptum inde ſequens ſchema docet ;*



En ergo Λεοντόκρανον *illud* κράνος, leonina *nempe* Galea *ab Heſychio, uti priori ad te Epiſtola monueram, Amazonibus tributa; ſeu ut Statius alicubi loquitur*, Galeæ vacua ora leonum ; facilis *proinde, immo plana & obvia liqueat eruditi illius Critici ac Strabonis, cum eodem nummo, nullo modo autem cum eo, quem hic expendimus*, concordia. *Nihil enim obſtat amplius, quin eadem illa muliebris cum leonino capitis tegmine effigies*, Amiſo *Amazoni, quæ in commemorato ſupra nummo depicta, more urbium turrita & Bipenni armata exſtat, tribuatur, non vero Bacchæ alicui, juxta Goltzii commentatorem Nonnium, cui nullus hic omnino locus relinquitur, & quod*

Thebaid. lib. VII. v. 276.

vel

vel aversa nummi pars, cum Victoriæ signo abunde indicat, cui nihil cum insanientibus Bacchantibus commune, & quæ in aliis etiam Amisenorum nummis, cum Palladis Ægide in anteriori eorum area, apud eundem Goltzium signatur. Equibus autem magis dubia aut infirma valde redditur de Amazone in eo Amisenorum, de quo hic agebatur, nummo expressa, & quæ nullo utique certo tibicine nititur, conjectura; cui alioquin nec lunata Pelta, aut Bipennis accedit Amazonia, quibus ornari insuper ac dignosci vulgo solent in conditarum denominatarumve ab iis urbium, & qua de re nos alibi, nummis Amazones. Adde quod insolitam, Galeati capitis in hoc ac simili Amisenorum nummo effigiem, non ad feminam, sed ad virum haud male retulisse videatur ad Goltzium Nonnius; neque abludat eadem, quod vere alioquin observas, a Phrygii pilei vel Athidis, addo & a solitis Dei Luni simulacris, qui in toto illo Asiæ tractu, Phrygiæ, Pisidiæ, Galatiæ, (cui postrema adscripta etiam a nonnullis Amisus) & quod veteres arguunt & insignes eorum locorum nummi ac inter alios Ancyræ Galatiæ Metropolis, cultus legitur; nisi quod ut plurimum addatur eidem mediæ Lunæ insigne. Immo pileatæ olim eo ferme modo, (ut de Arcadicis, ceu Macedonicis pileis aliunde notis, nihil hic dicam) haud dissitæ itidem a Ponto gentes, illinc Armenii, hinc Daci, ut ex nummis itidem antiquis & Columna Trajani etiamnum liquet & viderunt ad eandem eruditi Antiquarii; ac unde de Dacis Aurelius Victor Dacorum pileatis Sacisqve nationibus. Adeo ut ad Heroem aliquem illorum tractuum aut Amisi Evergetem, qualis etiam apud Sino- In Trajano.

pen-

Bell. Mithrid. p. 225. *penses in eodem terrarum tractũ cultus, Appiano au-ctore, Autolycus, referri possit haud incommode Galea-tum illud in duobus Amisenorum nummis caput; sicuti Galeatum itidem juvenile caput, exhibet alius ejusdem ur-bis nummus apud Goltzium. Quod vero adtinet Galeatã subinde Græcorum ritu Amazonum capita in aliis num-mis & monumentis antiquis, quæ e celeberrimo Patino aut Liceto profers, & quibus alia e Cimeliarchio Gallo-rum Regio possent superaddi, illud omnino statuendum,* Æn. l. VI. v. 314. *easdem Martias virgines, subinde Græcorum, seu* Ar-golicas, *ut Virgilius alicubi eas vocat,* Galeas, *tanquam rapta de iis spolia, omissis leoninis aliisque ferarum e-xuviis gestasse; aut vero ad Græcanici ritus normam, earundem Galeas, a Græcanicis aut a Græcis conditis ac inhabitatis urbibus, expressas ceu cælatas fuisse.*

Pegasum vero, eumque pascentem opportune signa-ri dixeram in altera hujus nummi area, ceu in Bellero-phontis, quod monueras, memoriam, qui ab Homero nonsolum, sed a Pindaro aliisque cum Amazonibus de-pugnasse dicitur; ceu forte, ut libera pacataque Ami-sus, eodem symbolo denotetur. Id enim cum in nummis antiquis obvium, ut pascentis Equi, vel Muli, vel Bovis etiam symbolis, locorum, in quibus eadem occurrunt, tran-quillitas & pacata tempora designentur; tum Amiso apprime conveniens, recuperata primo a Lucullo, bello Diss. de Præst. Num. p. 871. *Mithridatico, dein ab Augusto, quam denuo amiserat, libertate & petita inde loci, quod alibi docui, Epocha, ip-saque singularis beneficii memoria urbis illius nummis frequenter adscripta, nempe* ΑΜΙΣΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ Liberæ Amisi. *Quibus a me superiori ad te Epistola obiter ad-duc-*

ductis, non te, quod videris tamen arbitrari, a tua opinione de Bellerophonte & Amazone deturbare volui, cui suffragator quodammodo accederem; quamquam alteram etiam de Pegaso ibi pascente conjecturam, ut liberum esset ea de re lectori statuere, in medium pariter adferrem. Neque vero aliter cum reconditis hisce caliginosæ ut plurimum antiquitatis studiis comparatum norunt, qui hæc æra sedula versarunt manu, quam ut in dubiis ac incertis, quæ nimis frequenter se eadem tractantibus offerunt, haud uni subinde sed pluribus conjecturis locus detur; quo accuratiori earum intuitu & examine, exacuatur eorum, qui in talibus se exercent, industria, ac simul ea, quæ vero propior, subductis rite calculis, reliquis anteponatur. Immo haud temere id a me ibi factum video, Idque eo magis, quod vel valde sit incerta, ut paullo ante vidimus, de Amazone in anteriori nummi parte cælata, opinio; vel, si eadem locum habeat, ad conditam ab Amazonum aliqua Amisum, eamque inde signatam in alio veteri hujus urbis nummo, referri omnino debeat; nullaque proinde, ut ad Bellerophontis cum Amazonibus pugnam recurratur, ratio vel causa subesse ibidem videatur. Neque enim vel Heros, vel Conditor illorum locorum Bellerophon; neque cladis illius, quam Amazonibus intulisse a Poetis dicitur, memoria id videtur meruisse, ut in vicino Amazonibus tractu, immo ubi earum sedes & condita forte ab Amazonum aliqua, quod modo vidimus, Amisus, eadem clades publicis illius urbis monumentis signaretur. Immo

nec pascens Pegasus ullum ejusce pugnæ vel cladis indicium aut vestigium præbet, quum eodem alato Equo vectus ac in aere sublimis (qualis utique in Corinthiorum nummis Chimæram conficiens visitur) Amazonas, Chimæram, & Solymos a [a] Pindaro dicatur debellasse. Ut mittam post infelicem Bellerophontis e sublimi illo Pegaso, cujus [b] Homerus etiam meminit, in terram lapsum, eundem illum alatum Equum tradi a fabularum [c] conditoribus, sursum ac deorsum oberrasse; a [d] Pindaro autem, eum inde in supremum æthera ad Jovis Præsepia traductum. Nisi inde quispiam forte pascentem in Amisenorum nummo Pegasum, qui alioquin in aere volitans, passim in antiquis nummis cernitur, velit statuere; in memoriam scilicet præcipitis ab eodem in terram dati Amazonum hostis Bellerophontis, ac proinde tanquam veri earundem Amazonum ultoris Pegasi.

(a) Ol. Od. XIII.
(b) Iliad. z.
(c) Tzet. ad Lycophr. p. 45.
(d) Pindar. Olymp. Od. XIII.

Quamquam nil opus sit, si quid judico, ad anilem hanc fabulam confugere, ubi alia se offert & propior quidem pascentis in hoc Amisenorum nummo Pegasi ratio. Quum enim in Corinthi & deductarum ab ea urbium, consueto nempe Coloniarum more, Syracusarũ, Corcyræ, aliarumque Græciæ aut Magnæ Græciæ urbium nummis occurrat frequenter Pegasus, sed sublimis semper ac elatis pedibus in aere volitans, propria & peculiaris omnino subesse debet causa, cur idem insolito & qualis nuspiam alibi occurrit, pascentis habitu, in hoc Amisenorum nummo, signetur; & eo quidem modo, quo vel comũnes alioquin Equi, vel Muli etiam & Boves spectantur nonnuuquam in antiquis nummis Quum autem, quod nec etiam diffiteris, eo symbolo tranquillitas & pacata

eo-

eorundem locorum tempora denotentur, haud absimilis omnino videtur pascentis hujus in hoc Amisenorum nummo Pegasi ratio. Immo eo magis eadem conveniens, quod Amisenis, a recuperata sub Augusto libertate, proprium quodammodo & peculiare arguant veteres illius urbis nummi, ut singulare hoc beneficium, variis utique notis & insignibus, tum, prout ante diximus, deductæ inde Aeræ, tum ipsa ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ seu Liberæ appellatione, in iisdem ad perpetuam rei memoriam consignarent. Quæ res, ut hoc etiam in nummo locum habeat, dispiciendum, an de ætate, qua idem cusus, possit aliquod indicium reperiri. Illud vero nec deesse huic nummo opportune video, quamquam id non fuerit in eo aliisque id genus animadversum. Aera enim duabus, quas præfert vulgatus a te post Goltzium hic nummus, litteris junctis signatur ΜΒ. seu XLII. Anni, sicut in aliis rursus hujus urbis nummis in eadem Tabula a Goltzio expressis, ΜΕ seu XLV. Tab. Asiæ II. in altero ΙΔ seu XIV. Annos indicari videas. Quum autem Actiaca victoria, a qua deducta ab Amisenis, quod plures alii eorum nummi arguunt, Aera, ab accuratioribus Chronologis referri soleat ad Annum Urbis conditæ DCCXXIII. hinc juxta eum calculum, nummus ille, quem versamus, incidet in annum V.C, DCCLXV. h. e. in extrema Augusti tempora. Ne enim continuo hunc & similes Amisenorum nummos, cum signatis id genus annis ad anteriora Augusto tempora, aut reddito quondam eidem urbi, quod Auctores itidem memorant, ab Alexandro Magno, dein etiam a Lucullo, populari statu vel αὐτονομίᾳ, revocem, suadent haud pauca. Primo equidem, quod in aliis Amisenorum nummis sub sequentibus Cæ- Appian. Bell. Mythrit. p. 222.

 sari-

saribus cusis, signata passim occurrat hæc Aera, & de qua nos pridem alibi, a reddita nempe huic urbi ab Augusto post Actiacam Victoriam libertate. Secundo, quod vel ex iis abunde liqueat, diuturnius fuisse illud beneficium priori, quod ei a Lucullo, aut vero pridem ante ab Alexandro partum fuerat; quum brevi post hujus excessum, Ponticis Regibus, quod tradit [(a)] *Appianus & ex* [(b)] *Strabone etiam constat, paruerit. Neque vero eadem, reddita ei a Lucullo libertate diu est usa, sed mox in Pharnacis, quod docet ibidem* [(c)] *Strabo, potestatem redacta, vix autem a J. Cæsare liberata, ab Antonio Regibus Ponticis denuo subjecta, ac ab Augusto demum in libertatem denuo fuit adserta. Tertio, quod alioquin hi XLV. Anni, in superiori Amisenorum nummo, quod modo vidimus, signati, ducto Æeræ initio a recuperata per Lucullum libertate, circa Annum scilicet Urbis Romæ DCLXXXIII. inciderent in Annum urbis DCCXXVIII. atque ita aliquot annis post Victoriam Actiacam, cujus tempore tamen, & diu ante, minime liberam fuisse Amisum, abunde e modo dictis & Augusti facto constat, ac adscriptæ inde toties* ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ ΑΜΙΣΟΥ *seu* Liberæ Amisi, *cum signata Æra, mentione. Addo insuper, quod in schedis meis notatum opportune reperio, exstare eundem hunc aut geminum huic nostro, de quo agimus, nummum in Gaza Gallorum Regia, cum simili nempe Galeato capite in anteriori area, & pascente Pegaso in aversa ac nomine* ΑΜΙΣΟΥ, *nisi quod aliæ numerales litteræ in eodem leguntur, nempe* ΘΠ. *h. e. LXXXIX. quæ in V. Neronis principatus incidunt. Quarto, quod signata in iisdem, qui apud Goltzium prostant, & qualem*

Diss. de Præst. Num. p. 871.

(a) Ibid.

(b) l. XII p. 547.

(c) Ibid.

lem paullo ante retuli, Amisenorum nummis, Victoria, immo eadem in uno ex iis Proræ navis insistens, haud alia sint, quam Actiacæ Victoriæ clarissima symbola;



Neque enim duo priores libertatis hujus urbis Auctores, vel Alexander, vel Lucullus, parta demum insigni aliqua navali victoria, quod de Augusto liquet, hanc urbem libertate donasse leguntur, seu veterem restituisse reipublicæ formam, suisque legibus vivendi arbitrium. Quinto, quod nec ea, quam existimabas, felicitatis hujus urbis, seu signatæ inde vulgo in illius nummis, Liberæ Amisi, *seu* ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ ΑΜΙΣΟΥ *appellatio, etsi ea apud Goltzium non comparet, hic etiam deficit. Occurrit enim similis omnino ei, quem hic expendimus, Amisenorum nummus in Gaza Medicea, cum iisdem omnino typis, tum galeati in prima ejus area, peculiari eodem ritu, capitis, tum in aversa Pegasi itidem pascentis, cum nomine urbis* ΑΜΙΣΟΥ, *aliisque insuper partim vetustate exesis litteris, quas legebat peritus olim Gazæ illius custos Fittonus Anglus - - -* ΡΑΣ, *pro quibus* ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ, *quod passim in aliis Amisenorum nummis legitur, pridem supplendum vidi. Unde quum duo ejusdem notæ nummi cum Galeato nempe illo, de quo egimus, capite, & cum Pegaso pascente in altera nummi area, occurrant apud Goltzium, fieri facile equidem potest, ut quod haud semel ei-*

dem contigit, illud ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ *nomen, ut vetustate exesum, ab eodem sit prateritum. Neque vero ullum hic facesset negotium, quod more cæteroquin in Græcis aliisque Cæsareanorum temporum nummis consueto, haud cælata occurrat in priori nummi area rerum tum potientis Cæsaris effigies. Plures enim, quod norunt talium periti, occurrunt Græcarum aut Asiaticarum urbium, sicuti Smyrnæ, Laodiceæ, Sardium, Rhodi, Tyri, Antiochiæ, aliarumque nummi, qui quamquam sub primis Cæsaribus, quod ex indubiis aliis documentis signatisque subinde Romanis eorundem temporum & aliunde notis Rectoribus constat, percussi fuerint, nullum tamen regnantis tum Imperatoris vultum præferunt, sed antiquum adhuc loci insigne ac typum vulgo retinent.*

Nihil itaque obstare amplius agnosces, Vir Præstantissime, immo quod non suadeat potius omnino, ut pascens in hoc Amisenorum nummo Pegasus, recuperatam sub Augusto libertatem, tranquillumque inde & pacatum eorundem statum, haud insolitis in nummis pascentium aliorum animalium, maxime Equi, ut diximus, Muli, & Bovis symbolis denotet. Cur autem Pegasum potius, seu alatum & fabulosum Equum eam in rem iidem delegerint, id inde factum statui haud immerito posset, ut nobiliori symbolo, partum quasi divinitus illud beneficium prædicarent. Quamquam & alia & propior quidem subesse videatur hujus rei, seu sculpti ab Amisenis Pegasi, causa. Nobiles nempe olim & veloces Equi Pegasi *haud semel leguntur appellati, ut ex Ausonio & Græco* Diss. de Præst. Num. p. 235. *Epigrammate dudum monui. Unde etiam inter Equorum nomina, qui tanquam palmati ceu in Circensibus*

victo-

victores celebrantur in veteri Inscriptione a Cl. Sponio e schedis τοῦ θαυμασίου Peireskii edita, occurrit aliquoties PEGASUS. Cui rei praiverat pridem Vatum Parens, dum Equos a velocitate prædicans (a) ΟΡΝΙΘΑΣ ὡς tanquam aves; alibi Accipitribus etiam celeriores, (b) θάσσονας ἱρήκων vocat; & alio rursus loco, (c) volare eosdem dicit. Immo inde Africæ, & in eadem etiam, cujusmodi nummos se vidisse existimat (d) Ant. Augustinus, Carthaginis insigne Pegasus, in antiquis aliquot nummis, ob velocium Equorum eadem in regione, ut vidit jam Cl. Tristanus, proventum, & quod egregie insuper illustrat indicata modo vetus Inscriptio, in qua Pegasi, ceu Victoris Equi ita bis in eadem appellati, patria utrique adscribitur Africa, nempe PEGASO AF. haud aliter ac in nummo a Tristano edito, infra Pegasum exstant litteræ AFR. seu Africa. Quæ causa etiam, ceu Equorum eo in tractu singularis præstantia ac celebritas opportune impellere potuit Amisenos, ut similiter Pegasum publico eorum ære signarent. Amisus certe in Paphlagonum & Cappadocum ora olim ad Pontum sita, modo his proinde, modo illis ab Autoribus, qui de ea agunt, adscripta; eademque etiam, juxta Hecatæum ac Zenodotum, quæ ab Homero Ἐνετῆς nomine fuerit indigitata. Nobilitatus autem omnis ille tractus singulari quadam Equorum præstantia, unde Ἐνετίδες ἵπποι, aut Ἐνέται, seu Heneti Equi ab Euripide aliisque veteribus celebrati. Nota vero inprimis ac decantata ab antiquis Scriptoribus Cappadocum Equorum præ aliis celebritas, immo quæ tanta etiam fuit, ut divinorum animalium ceu Imperatori Romano reservatorum nomine, vocata legantur in veteris Orbis descriptione; & sacra inde

eo-

Itin. Tom. III. p. 23.

(a) Bocot. v. 271.

(b) Il. M. v. 819.

(c) πέτεσθαι Il. K. v. 530.

(d) Dialog. VI.

Tom. I. p. 88.

vid. Strab. l. XIII. p. 553. & Eustath. Il. B. p. 361.

Hippol. v. 231. & 1332.

illorum divinorum animalium formositatem, &c. c. 20.

In Laudib. Serenæ v. 192. *eorum* Præsepia *dicantur alicubi a Claudiano*,

Semina Cappadocum sacris præsepibus edunt ;

idque, quod nemini etiam, ac ne Consuli quidem, iis uti, aut tales factionibus dividere, præter Imperatorem, sicut
in Cordianis. *testatur alicubi Capitolinus, licuerit. Unde Eutropius, quod Consul Equis hujusmodi usus fuisset, Arcadii jussu*
Hist. Eccl. l. XV. v. 6. *capite plexus apud Philostorgium dicitur, & ad quem consuli ea de re potest princeps hujus ætatis Juris Consultorum Jac. Gothofredus, & qui eadem de re post eum a-*
Phaleg. l. III. c. XI. Hieroz. l. II. c. IX. *git in utroque eximio opere,* ὁ πάνυ *Bochartus. Quibus addere obiter hic licet Themistium, qui venalem in foro Equũ, inspici primum tradit, an magnus, an pulcher, an celeriter*
Orat. XXVII. p. 335. ult. ed. *currat, an* Thessalus, *an* Cappadox, *an* Siculus, εἰ ἢ θέτταλος ἢ Καππαδόκης, ἢ σικελός. *Quod vero huc potissimum facit, laudata maxime eorundem Cappadocum Equorum incredibilis quædam velocitas, unde apposite omnino ad hunc nummum,* Volucrum *etiam nomine iidem a Claudiano ap-*
In Rufin. l. II. v. 31. *pellati,* Volucrumque parens Argeus Equorum ; *immo id de iis ut miraculi instar observat Oppianus, Cappadocum* Equos eo celeriores esse, quanto magis senescunt,

Κυνηγ. l. I. v. 201. κραιπνότεροι δὲ πέλουσιν ὅσῳ μάλα γηράσκουσι.

E quibus abunde, ut opinor, liquet, nihil hic ad rei veritatem, ceu notum loci decus convenientius, aut magis ad veterum etiam, sicuti de Africa paullo ante & de Carthagine diximus, nummorum fidem, quam ut Pegasus pariter in hoc Amisenorum nummo, præ aliis nobilitatum præstantissimis ac velocissimis Equis locum continuo denotet. Amisus certe in Cappadocum solo, eorumque qui ad Pontum, ad discrimen aliorum, qui ad Taurum,
(a) Strabo. XII. p. 553 (b) p. 380. *Leucosyri dicebantur, a* (a) *Cappadoce Geographo, a* (b) *Scy-*

mno

mno Chio præterea, nuper cum Holstenii ad Stephanum notis edito, aliisque collocatur. Mitto proinde hoc, quod a Dione Prysæo in Borysthenica traditum legas, sacrum nempe præ aliis Jovi Equum, eumque alatum, quem victimis omnique honorum genere eximie colerent Borysthenitæ, πτηνὸν τε εἶναι, τὴν δε χρόαν λαμπρὸν, αὐτῆς τε καθαρωτάτης esse alatum & colore splendidum, purissimi splendoris. Orat. XXXVI. p. 449. Haud enim necesse hic arbitror, ubi lux aliunde propior certiorque huic Amisenorum nummo accedit, ut ab hisce Borysthenitis, similem inde alati Equi cultum, ad alteram eamque dissitam Ponti oram in qua Amisus, & quæ urbs Græca, sicut eadem a veteribus dicitur, & Græci ritus mansit, credamus dimanasse. Ἄμισος, πόλις Ἑλληνίς Arrian. Peripl. Pont. Eux.

IV. De ABDERITARUM Nummo, ejusque inscriptione ac typis

ABDERITARUM nummi adspectu liceret paucis hic defungi, quod ea, quæ de utraque nummi illius area, animadvertenda mihi videbantur, quamquam tuis de iisdem Conjecturis minus consona, haud improbanda tibi, sed arripienda potius censuisti, Quia tamen nonnulla, eidem tuæ, quoad primam nummi effigiem seu inscriptionem, opinioni confirmandæ haud eo minus adferre tibi libuit; eumque, quod nimis blande ibidem innuis, in finem, ut novam eis lucem impertirem, in eo etiam mos utcunque petitioni tuæ voluntatiq; gerendus est. Occurrit nempe in anteriori nummi parte e Goltzio in Observationibus tuis adducti, caput imberbe, cum epigraphe, sicut eandem ibi distinguis & explanas ΕΠΙ ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ, nempe Sub Jove Sinistro; eoque indicari credidisti loci illius intemperiem, notam cum e Luciani narratione, de suborta per æstatem quandã Abderitarũ insania, tum e stupore eorundem, qui in proverbiũ pag. 13.

etiam abierit. Id autem eo consilio ab iis factum arbitraris, ut hinc effigie illa & inscriptione Jovis Sinistri, *qui ibi idem esset aut similis cum Romanorum Veiove; depicto autem in aversa nummi parte Grypho, Apollini, ut aliunde liquet, sacro, hanc, quod ajebas, famæ publicæ iniquitatem refutarent; quod æstu vehementiori, in morbos, tanquam* sub Jove Sinistro, *nati, inciderent; morbum tamen non esse pudendum, sed qui dignos Apolline alumnos efficeret. Quæ me vero impellerent, ne illi de hoc nummo Conjecturæ continuo adsentirer, superiori ad te Epistola paucis indicavi; minus nempe videri verisimile, ut ob aliquam loci seu infesti aeris intemperiem, ac inde subortam per nimios unius æstatis calores, suavem quandam, quam Lucianus narrat, Abderitarum dementiam, ideo sub infausto illo* Sinistri Jovis, *nomine colendum sibi Deorum Regem; idque publico ære, ad perpetuam rei memoriam, consignandum statuerent. Neque vero eæ, ad quas denuo te hic refers, adlatæ in Observationibus tuis, aut quas etiamnum hic repetis, rationes, id omnino, quod arbitraris, suadent aut probant.* Λαιὸν *quidem a Græcis, æque ac a Romanis* lævum *aut* sinistrum, *pro* infausto *dici, non est utique quod dubitare liceat; sicuti eodem plane sensu* ἀριστερὸν, ἐπαριστερὸν, εὐώνυμον, *adde & quod propius huc spectat,* ἐξωλαίμας *Hesychio* οὐκ αἰσίους, *seu* infaustos, *& quidem quod vidit jam vir doctissimus Is. Vossius ad Catullum, corrupte pro* ἔξω λαίβας *h. e.* λαιᾶς (*unde, quod obiter addo, Romanorum* lævum) *a sinistra nempe parte caveæ, & sicuti non* ἔξεδρος *solum eidem Hesychio, sed* ἐξαίσιος *etiam pro* infausto *apud Aeschylum, aut pro* intempestivo *alicubi apud Platonem, quod observo, dicitur. Hinc* læva *etiam*

Obs. p. 16.

s duppl. v. 553.
e Leg. l. v. p. 732.

„*etiam* Numina *a Poeta olim dicta; & quidem, quod quæ-*
„*dam sint Numina, quæ, ut e Gellio didicisti, nocendi vim habeant, nihil utique certius; sed an id* adsertum *tuum, quod arbitraris, juvet,* de Jove *nempe* Sinistro *signato in superiori Abderitarum nummo, haud perinde liquidum. Illud equidem constat e Theologia Gentilium, non quædam solum* Numina, *eaque Terrestria ferme, aut quæ vulgo in Inferiorum sede; sed ipsos Cœlestes & supremos Deos,* donorum datores *alioquin dictos,* hanc nocendi vim habuisse; *adeo quidem, ut malorum omnium, quæ hominibus eveniunt, auctores etiam, sicut e Plutarcho obiter superiori ad te E-* De audiend. Poet.
pistola tradideram, Dii in genere statuantur. Ita ut & Wech.'el. de Iside p. 370.
quamquam idem alibi tradat, eam esse Græcorum opinionem, a Jove Olympio bona, a Plutone mala proficisci; id. p. 370.
haud eo minus tamen, eundem Jovem inter Ἀποτροπαίους *seu* Averruncos *Deos, quales alioquin Terrestres Genii aut Inferorum Numina habebantur, referri, sicut apud* [(a)] *Ae-* (a) Suppl. v. 1071.
schylum, [(b)] *Sophoclem aliosque haud semel videas. Hinc* (b) Aiac. v. 186.
[(c)] Ζεὺς Ἀλεξιτήριος *seu* Jupiter Averruncus, *sicut ex eodem Æ-* (c) Sept. Theb. v. 8.
schylo & Græcis ad eum Criticis liquet, Thebis etiam cultus, & cui proinde θυσίαι ἀποτρόπαιαι, *ut eas vocat* [(d)] *Por-* (d) περὶ ἀποχ. l. II. p. 207.
phyrius, seu sacra averrunca, *quamquam haud eodem plane ritu,* [(e)] ἀποτροπαίοις δαίμοσι Averruncis Diis *ceu* Geniis *fieri sicut* (e) Æschyl. Pers. v. 203.
ea que solita, quo nempe placato eodem Jove ac propitio, non vero infesto vel Ultore uterentur. Quo referas etiam, quod in veteribus (ut me intra nostram hanc penum antiquariã contineam) vel Græcorum vel Romanorum nummis, idem Juppiter, non solum ab illis Βουλαῖος, Ἐλευθέριος, Ἱκετήσιος, Στρατηγὸς, Σωτὴρ, Φιλαλήθης, Φίλιος; *ab his autem* Conservator, Custos, Defensor, Liberator, Sospitator, Sponsor Salutis, Stator ac

Tutator *dicitur ; Sed* Κεραύνιος *etiam*, Καταιβάτης, *aut* Fulgerator & Ultor *in iisdem, ut nosti, signatur. Ita quoque idem* Vejovis *nomine a Romanis cultus, sagittis nempe ad nocendum armatis instructus ; immo quem, auctore Gellio, plerique non Jovem, sed Apollinem esse dixerint; quem utique* Ἀποτρόπαιον *seu* Averruncum , *a Græcis dictum quandoque & cultum constat. At vero nullatenus hæc juvant, ut inde & quidem ob* crassum *apud Abderitas, quem Juvenalis eo loco tribuit*, aerem ; *vel ob insaniam forte, eamque haud insuavem, e vehementiori æstu exortam*, ac morbum, *ut ipse ais*, non pudendum, *ab iisdem continuo Deum Parens, sub* Jovis Sinistri *appellatione fuerit cultus, isque publicis etiam urbis monumentis, ad posterorum memoriam sacratus. Notum vulgo, quid de crasso itidem Bœotiorum aere, pinguibusque & stolidis eorum ingeniis, & quo referunt nonnulli Homeri versum de* pingui *eorum* populo , *præter alios dixerit Horatius,*

Ἄπολλον ἀποτρόπαιε Aristoph. Vesp. p. 440.

πίονα δῆμον ἔχοντες Iliad. E. v. 710.

lib. II. Epist. I 1.

Bœotum in crasso jurares aere natum ;

In Jove Tragœdo

adeo etiam ut Bœotium, *sicuti apud Lucianum alicubi*, dictum; Bœotia auris ; *immo, quod fœdius*, Bœotia Sus *in proverbium abierint. Neque ideo tamen iidem Bœotii*, Sinistri *illius* Jovis, *seu infelicis, sub quo siti essent, aeris intuitu, hanc a se amovere aut mollire saltem contumeliam, testata hujusce rei publico eorum ære memoria, cogitasse reperiuntur. Ut Cumæos hic mittam, Cumæ scilicet principis quondam Æolidos urbis incolas, quos pro stolidis olim habitos ac irrisos tradunt itidem veteres ; nusquam tamen videas, simili aliquo, quale hic Abderitis tribuis, consilio, de mollienda hac injuria cogitasse. Nec a Nicæensibus Bithynis, vel a Ponti accolis, simile quid factum, aut in eorum,* qui

Strabo l. XII. p. 622. & Eustath. Iliad. B. p. 357.

qui superſunt complures, nummis ſignatum utiq; cernimus; quamquam æſtuoſa, *ſicut eam vocat alicubi Catullus, haud aliter ac de Abderis e Luciani narratione colligis, fuerit* Nicæa; *aut* craſſus *itidem in Ponto* aer, *immo* frigus *inde in eo tractu æque ac* æſtus ingens *ab Ariſtotele haud uno loco traditur. Unde inſalubris etiam, qui loca illa & quod aliunde itidem conſtat, ambiebat aer, ac proinde haud infrequentes morbi, juxta illud Galeni, Animalium corpora, pro ambientis nos aeris ſtatu, quod uno* ἀγωγῆς *verbo vocat Hippocrates, alterationibus eſſe obnoxia; ac aureo inſuper de Aere Aquis & Locis libro, haud ſemel indicat divinus ſenex. Imo ne ea quidem tuum* aſſertum juvare *hic poſſunt, quæ de acutis quorundam Abderitarum febribus, ac ortis, ſicut fieri ſolet inde quandoque, deliriis adferre alibi videas eundem Hippocratem. Haud magis utique, quam ea, ut de aliis ſileam, quæ de Thaſiorum, qui Abderis haud diſſiti et in adverſa illius Thraciæ parte, ut de iis alicubi Galenus, ſiti, morbis & ægrotis, eodem libro, immo ab ipſo initio præclari illius Epidemiorum operis, ac inde paſſim memorat. Mitto inſuper, quod ex* ἀμοιβαίαις *Hippocratis & Abderitarum, prout illæ magni Senis nomine circumferuntur, Epiſtolis liquet; accerſitum nempe ab hiſce Hippocratem, qui creditam Abderitæ Democriti inſaniam curaret; deprehenſam vero ab eodem ſummam, quam ibidem prædicat, Philoſophi illius ſapientiam. Neque enim quidquam inde liceret elicere, niſi deluſos ac deceptos Democriti populares, perpetuo illo ac immodico, ut iis videbatur, civis ſui & ab omni hominum conſortio remoti, Riſu. Adeo etiam, ut ea quæ de* vervecum patria craſſoque aere, *a Satyrico de Abderitis, ubi natus vulgo fertur Democritus, dicuntur, an appoſite ad tuam mentem, nihilque magis ad rem h. e. de*

Nicæaque æger uber æſtuoſ. Epigr. XLVI.

Problem. XXIII.

Ibid. XXV. 6.

Com. I. ad l. I. Epidem. c. IX.

Ibid.

Cap. LVII.

Epidem. l. III. 76. 77. 78. 79. 80 81. 84.

Θάσος &c. κατάντικρυς τῆς Θρᾴκης κειμένη ad Epidem. l. 1. Text. 1.

Epiſtol. Hippocratis Democrito

Juven. Satyr. X. v. 50.

Abderitis; se Sub Siniſtro Jove *natis publico urbis ære con-*
teſtantibus, te ipſum, re propius inſpecta, libenter judicem
fero, mi BEGERE. *Neque eam in rem adducam*
quod non Abderita ab omnibus, ſed ab aliis Megarenſis,
In Democrito lib. IX. *a nonnullis, teſte Diogene Laertio, Mileſius tradatur i-*
dem Democritus; aut quod vere ſatyrico felle, ſicut ag-
noſcit etiam ad Melam vir excellenti doctrina & in-
genio Iſ. Voſſius, Vervecum patria *dicatur urbs præclaris*
ingeniis ferax, puta præter Democritum, Protagora, A-
naxarcho, Hecatæo, Nicenæto Poeta Epico, aliisque. Unde
Stephani Byzantii, qui eosdem viros celebres commemo-
in voce Ἄβδηρα *rat, de Abderitis elogium,* πλεῖστοι Ἀβδηρῖται ὑπὸ τῶν πινακογρά-
φων ἀναγράφονται; plures Abderitæ in doctorum virorum catalo-
gis recenſentur. *Ne addam inſuper, nihil a Satyrico ibi de*
Abderis dictum, quod in Bœotiam & Bœotos, juxta no-
ta & tradita paullo ante veterum de iis ſcita, non magis
equidem quadret. *Immo cui opponere etiam licet vetus*
illud, quod e Strabone jam adtuleram, Ἄβδηρα καλὴ Τηΐων ἀποι-
l. XIII. p. 644. κία Abdera præclara Tejorum Colonia; *quamquam de eo ali-*
ter ſtatuat laudatus modo vir magnus ad Melam. *Ne-*
que enim video dictum illud, quicunque ſit ejus auctor,
verti a Strabone, qui illud refert, in ullam Abderitarum
contumeliam; ſed unice ad memoriam, qua de re adhuc
mox agetur, deductæ a Tejis eam in urbem Coloniæ. Quod
firmat etiam ac illuſtrat ipſa loci illius, quam agnoſcit a-
lioquin idem vir doctiſſimus, cum ubertas, tum amœni-
tas; neque enim ſolum fuiſſe aſperum & incultum, ſed
cereale & frugibus conſitum. Adeo quidem ut Triballi
frumentorum inopia laborantes, Abderitarum Regio-
l. XV. p. 354. *nem, teſte Diodoro Siculo, tanquam fœcundam frugibus*
in-

invaderent ac popularentur. Adde, quod eadem Abdera videas μίαν πόλεων οὐκ ἄσημον, urbem non in celebrem, *ab Hippocrate vocari in commemoratis modo Epistolis ei tributis; ab eodem vero Diodoro,* Urbem Thraciæ tum potentissimis adnumerari. *Adeo ut non ignobilis utique aut inamœna, sed vere insignis ac* præclara *foret hæc* Tejorum Colonia; *Metropoli etiam sua, post eandem expugnatam ab Harpago & a civibus suis desertam, (quod aliis itidem Coloniis, sicut Tyro, Massiliæ, Syracusis, Byzantio contigisse tradit alicubi Vellejus,) potentior ac splendidior; nec necesse proinde sit, ut illud ironice a Strabone de Abderis dictum statui debeat. Et quamquam id factum etiam fuisset, nullatenus tamen sequeretur, hoc ab ipsis Abderitis, sed aliunde potius, promanasse; multo minus, quod ipsi, prout conjeceras, Abderitæ, se* Sub Jove Sinistro *sitos publico urbis ære fuerint contestati.*

Epist. XIII.

πόλιν ἐν ταῖς διωκατωτέραις οὖσαν, πότε τῶν ἐπὶ Θρᾴκης l. XIII. p. 194.

lib. II. c. XV.

„ *Quod enim non sufficiens, sicut ais, apparet tibi*
„ *causa, cur ab infausto nomine abstinere debuerint Abde-*
„ *ritæ, cum a Vejove non abstinuerint Romani, ea tamen, si rem accuratius hic introspexeris, facile, ut opinor se tibi approbabit. Inter Deos nempe quos diximus Averruncos, quos ut maleficos ac ad nocendum paratos, placandos sibi putabant Romani, relatus, ut iidem recto etiam casu loquebantur,* Vejovis; *quasi nempe alius a Jove;* væ *aut* ve *ibi, qvod tradit de eo, Gellius vim particulæ* στερητικῆς, *sicut in vocibus* vesani & vecordis, *habente. Hinc etiam quis esset ille Romanorum* Vejovis *vel* Vejupiter, *cui Ædes foret in urbis primordiis a Romulo condita, ab ipsis Romanarum Rerum scriptoribus, aut qui de eo agunt, ambigi videas: dum ab accuratissimo Auctore*

lib. V. c. XII.

ἔστω δὲ ἄρα θεῶν ἢ δαιμόνων οὐκ ἔχω τὸ σαφὲς εἰπεῖν. Antiq l. II. p. 88. l. V. c. XIII. Satyric. l. v.

Dionysio dicitur, non posse se certo dicere, quem Deum aut Dæmonem *seu* Genium eundem referat; *a Gellio, quod ante vidimus, a plerisque non Jovem sed Apollinem statui; a Martiano Capella & Papia, Ditem illum seu Plutonem tradi; ab ipso vero Ovidio haud affirmate, sed ut inde de eo, suo etiam ævo dubitatum abunde liqueat. Hic enim postquam de vi & usu illius particulæ* ve, *diminuendi vim, ut existimat, habentis in aliis compositis Romanorum vocibus, ut* vegrandia & vesca, *obiter egisset, addit,*

Fast. l. III. v. 447.

> Vis ea si verbi est, cur non ego Veiovis ædem,
> Ædem non magni suspicer esse Jovis?

Sed quæcumque de illo Vejove, *seu ad quem e Diis Cœlestibus aut Inferis referri debeat, fuerit Romanorum opinio, in eo una eorundem sententia, Numen fuisse, quod* non juvandi potestatem, *ut ait Gellius*, sed vim nocendi haberet; *factum proinde, ut simulacro ejusdem Dei*, Sagittæ, *quod idem Auctor memorat*, ad nocendum paratæ, *tribuantur; ac præterea Capra humano ritu eidem immolaretur. Prius illud etiamnum ante oculos ponit adductum ab Ursino*
Obs. p. 14. *in Gente Cæsia, & inde a te supra traditum Vejovis simulacrum; sine expresso tamen ibidem, quod notandum [vitandi scilicet mali ominis causa] infausto ejus nomine. Nihil autem tale in Abderitarum, de quibus hic agitur, nummis: imberbe quidem, sed laureatum insuper, quod,* Σωτῆρος *vulgo in monumentis antiquis aut Musagetæ Apollinis simulacrum; nullis præterea ad nocendum armis, non sagittis instar Romanorum* Vejovis, *non Hasta, non Fulmine, sicut in aliis, de quibus paullo ante, Græcorum Romanorum ve nummis instructus* ΚΑΤΑΙΒΑΤΗΣ, ΚΕ-

ΡΑΤ-

ΡΑΥΝΙΟΣ aut FULGERATOR, vel ULTOR JUPPITER, *aut Arcitenens alioquin Apollo visitur. Dispar etiam longe hic fuisset Romanorum & Abderitarum ratio. Cultus nempe ab illis tanquam unus e Diis Averruncis Vejovis; immo, ut e Dionysio ac Ovidio etiam constat, erectum eidem ante Asylum a Romulo extructum, Fanum ac Simulacrum; quo nempe, ut e postremo licet colligere, paratum se ostenderet hoc Numen, quoscunque sagittis conficere qui confugientes eo supplices, inde vi abstrahere vellent, aut loci sanctitatem violare. Adde quod non Sagittis, sed Fulmine, verus itaque* Καταιβάτης *vel* Κεραύνιος, *armatus legatur apud veteres Etruscos hic* Vejovis *vel* Vejupiter; *ac ut inde petita liqueat omnis Averrunci hujus Dei apud Romanos notitia & religio. Quo referre insuper licet aliud* JOVIS JUVENIS, *ut de hoc Vejove loquitur alioquin Ovidius*, Juppiter est Juvenis, juveniles adspice vultus, *apud Romanos simulacrum, Fulmine nempe, ad instar Etrusci Vejovis, & Hasta insuper, armatum, infra autem cum Ara & Aquila. Exhibet illud insignis & e maximorum genere sequens nummus Gazæ Gallorum Regiæ sub Commodo cusus, & qualis etiam exstat in Gaza Medicea,* Fast. l. III. v. 437.



m Ut

Ut mittam hic JOVIS CRESCENTIS, *ejusque Puerili adhuc ætate & Capræ insidentis, haud ignotam in aliis, & qualem jam vulgavit Tristanus, Romanorum nummis effigiem.* Tom. III. p. 119. *Quin & apud Græcos cultus itidem & sacratus subinde legitur imberbis, seu* Juvenis Juppiter; *sicuti de tali* Jove Imberbi *in Olympia dicato meminit* [a] *Pausanias; alibi autem, neque uno loco, agit de duobus antiquis* Jovis [b] Imberbis, *aut etiam* Pueri, *apud Ægienses in Achaia simulacris, ac de postremo quidem, quod fuerit* Ζεύς τε ἡλικίαν παῖς Juppiter puerili ætate. *Quæ utique egregie illustrat, eaque hactenus hic a nobis tradita, insignis ac rarus admodum nummus Cimeliarchii Gallorum Regii, cujus ectypum forte inter schedas meas opportune reperio, in quo hinc Jovis caput, more solito barbatum ac laureatum cum loci inscriptione* ΑΙΓΙΕΩΝ Ægiensium; *illinc figura nuda Jovis imberbis, aut puerili ætate stantis, divaricatis cruribus, ac elata dextra, fulmen vibrare parati, adducta memorabili epigraphe,* ΘΕΟΞΙΟΣ ΚΡΗΤΑΙΟΣ.

(a) ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Ζεὺς οὐκ ἔχων πω γένεια. l. I. Eliac. p.
(b) lib. VII. p. 444.
(c) Ibid. p. 445



Nummus nempe Ægii, *seu* ἐν Αἰγίῳ, *claro Achaiæ oppido, cusus; eoque non ob Conventus solum Achæorum, quod ex* [a] *Polybio haud uno loco &* [b] *Strabone liquet, aut jux-*

(a) lib. VII. p. 139. 140. & l. IV. p. 276.
(b) l. VIII. p. 387.

juxta [c] *Pausaniam, in vicino Jovis luco haberi solitos, sed Jovis insuper in eadem urbe a Capra nutriti fama, celebri. Postremum hoc equidem, & satis opportune ad illustrationem hujus præclari Ægiensium nummi, tradit Geographus;* Αἴγιον ᾗ ἱκανῶς οἰκεῖται ἱςορῦσι ᾗ καὶ ἐνταῦθα τὸν Δία ὑπ᾽ Αἰγὸς τραφῆναι. καθάπερ φησὶ καὶ Ἄρατος; Ægium incolis satis frequentatur. Ibi narrant Jovem a Capra fuisse nutritum, ut & Aratus dicit. &c. *Unde apposite in utraque nummi, ab illis Ægiensibus percussi area, signatus occurrit hinc Barbatus, illinc puerili adhuc ætate, seu qui in Romanorum, uti diximus, nummis CRESCENS vocatur JUPPITER. De prima autem voce, quæ in eo legitur,* ΘΕΟΞΙΟΣ, *nihil apud veteres legisse memini, neque forte alibi eadem legitur. Neque vero ullum ejus nominis vestigium videas, in antiquis aliquot, quas vulgarunt viri docti,* [a] *Cretensium Tabulis seu Fœderibus, in quibus Jovis* Cretensis *seu* ΚΡΗΤΑΓΕΝΟΥΣ, *de quo mox, sicut Jovis* Ταλαίου *apud eos culti fit alioquin mentio.* Σιὸν *quidem Laconibus nonsolum, sed Bœotiis etiam, ceu Dorice,* Deum *sive* Θεὸν *dictum, ex* [b] *Aristophane ac* [c] *Athenæo eruditis notum; postremum vero de Bœotiis, ex eodem* [d] *Comico alibi liquet. Unde vocem* θιάσων *a voce illa Dorica* Σιῶν *pro* Θεῶν *derivat quoque* [e] *Athenæus.* Θεῦ *tamen vel* Θεῶν *vocem a Doribus etiam & Cretensibus retentam ac usurpatam, cum aliunde tum ex iisdem patet, quas modo innuebam,* [f] *Fœderum Tabulis, in quibus vox eadem haud semel occurrit; sicut in una ex iis observat quoque doctissimus* [g] *Reinesius. Hinc qui signatur in hoc Ægiensium nummo Juppiter* ΘΕΟΞΙΟΣ *voce, ut conjicere licet, e* Θεὸς et Σιὸς *composita, dictus videtur quasi* Deus Deorum,

(c) lib. VII. p. 407 409.

Strabo l. VIII. p. 387.

(a) Thes. Grut. DV. Pricæ Apol. Apul. Marm. Oxon. p. 116. Reines. Syntag. p. 581.

(b) de Pace p. 637. & Lysistr. p. 840.

(c) Lib. VIII. p. 362.

(d) Acharn. p. 414.

(e) Ibid. p. 362.

(f) Grut. Thes. DV. 2. Marm. oxon. p. 116. P. I.

(g) Syntagm. p. 502.

In Aur. Carmina
(a) Demosth. in Midiam. p. 392.&Pausan l. VIII. p. 456.
(b) Æschyl. Agam. v. 518. etc.
(c) Od. VII. Neme.
(d) l. IV. v. 558.
(e) l. III. Od. IV.
(f) Diss. de Præst. Num. p. 432.
(g) l. XIX. c. 11.

quomodo ab Hierocle summum *Deum seu* ὕπατον, *qualis etiam ab* (a) *Atheniensibus cultus, aut dictus subinde apud antiquos* (b) *Auctores Juppiter, appellari videas* ΘΕΟΝ ΘΕΩΝ; *quo sensu idem* Βασιλεὺς Θεῶν *a* (c) *Pindaro ac* (d) *Apollonio & inde ab* (e) *Horatio* Rex Deorum *dicitur. Immo eadem ratione, qua sicut dudum* (f) *alibi ea de re egimus, SAAN SAAN h. e.* Rex Regum, *geminata nempe vocis* Saan *quæ* Regem *apud eos notat, dictus Persis, teste* (g) *Ammiano, Rex Persarum; Litteræ vero* σ *in* ξ *mutatio,* Θεόξιος *nempe pro* Θεόσιος, *aut* Θεόασιος *non Atticis solum, sed Doribus etiam familiaris, ut ad Theocritum in voce* καθίξας; *aut a Bœoto apud* (a) *Comicum* ἀπέκειξαν *aut* ἀπέκεξαν, *pro* ἀπέκισαν *notarunt veteres Grammatici, & alibi apud eundem a Lacedæmoniorum Præcone,* (b) μυθίξαι, *pro* μυθίσαι *dici videas. Nisi malit quis forte, quod mihi hæc scribendi itidem occurrit ac verius etiam puto, nempe formatam hanc* ΘΕΟΞΙΟΥ, *seu Jovis hujus Pueri appellationem, ex* Θεὸς *&* ἀέξειν *seu* ἄξειν (*utrumque enim dici observat* (c) *Eustathius*) *pro* ἄξειν; *& quam proprie usurpari de* crescente *alicujus cum ætate* statura *observant iidem Critici,* (d) καὶ ἔστιν ἀέξεσθαι, τὸ μὴ ἐπέχεσθαι τῆς κατὰ φύσιν προκοπῆς, ἀλλ' εἰς μέγεθος προχωρεῖν, μεῖζον τοῦ κατ' ἀρχάς. *Immo quam vocem opportune de hoc ipso adolescente & Cretensi Jove adhibet Callimachus,*

Idyl. I. v. 12.
(a) Aristoph. Acharn. p. 412.
(b) Idem Lysistr. p. 596.
ἀέξω καὶ κρᾶσει ἄξω. ad Il. Θ. v. 698.
(d) Eustath. ib.

Hym. in Jov. v. 55.

Καλὰ μὲν ΗΕΞΕΥ, καλὰ δ' ἔτραφες, οὐράνιε ΖΕΥ

Pulchre quidem CREVISTI, pulcreq; educatus es, ô Cœlestis JUPPITER.

Adeo quidem, ut Crescentis hujus Jovis, ejusdemque ΚΡΗΤΑΙΟΥ *seu* Cret.nsis *simulacro, hanc* ΘΕ.ΞΙΟΥ *appellationem*

qua-

quadrare omnino liqueat. Mitto proinde aliam de hac voce, petitam quoque ex eodem, cui illa adhibetur, Simulacro conjecturam; ut Deus nempe seu Juppiter Iratus sive Ultor hac ΘΕΟΞΙΟΥ appellatione, quasi alter de quo hic agebamus Vejupiter denotetur; haud aliter nempe ac ὀξωὺ Ἄρηα, iracundum & ferocem Martem vocat aliquoties Homerus; aut vero ἀνὴρ ὀξὸς Doribus, quorum lingua usi Ægienses, a Theocrito alicubi dicitur, ac unde formari ab iis potuit, vox Θεόξιος; quo sensu etiam, ut alia hic mittam, apud Sophoclem legas, (a) ὀξωύειν στόμα pro irasci, & apud Æschylum (b) ὀξυκάρδιοι, alibi (c) ὀξυμηνίτε, h.e. juxta veteres ad eum Criticos, pro irarum plenis, aut ad vindictam & pugnam accenso. Quæ loca ideo obiter tango, quod illa Thesauri & aliorum Lexicographorum effugerint diligentiam. Idem utique Jovis in eodem nummo habitus, Ultoris nempe ac Irati instar, ad vibrandum in merentes fulmen accincti. Dictus vero insuper in hoc Ægiensium nummo ΚΡΗΤΑΙΟΣ Cretæus seu Cretensis Juppiter; sicut Κρηταῖον ἄντρον (a) Apollonius aut Κρηταῖον Κευθμῶνα (b) Callimachus vocant speluncam in Creta, ubi nutritum Jovem veteres fabulantur. Unde idem hic spectatur, qui fulmen pariter intentat in alio insigni nummo, quem Tristanus jam luculentur illustravit, nisi quod hic inter septem Pleiadas barbatus præterea & sinistra pluviam immittens, ὄμβριος proinde ac ὑέτιος, non minus ac ΚΕΡΑΥΝΙΟΣ, Pluvius nempe juxta & Fulgerator visitur. Puerili vero ætate, ceu infans adhuc potius occurrit idem Juppiter, in alio Cretensium nummo, Globo præterea insidens, ac similiter inter septem Pleiadas, quem adtulit ibidem ac egregie interpretatus est Tristanus. Qui jam vidit etiam, eundem esse

Idyl.IE. v. 148.

(a) Trachin. v. 1192.

(b) Sept. Theb. v. 413.

(c) Eumen. v. 475.

(a) lib. II. v. 1237.

(b) Hym. in Jov. v. 34.

Tom. II. p. 250.

Ibid. p. 253

ΤΡΗΤΑΓΕΝΗ, *ſeu uti in hoc nummo vocatur*, ΚΡΗΤΑΙΟΝ Jovem, *qui apud Gazæos* Μάρνας, *ut Stephanus docet, vocabatur, & cujus locus, quia* ΚΡΗΤΑΙΟΥ *Jovis in eo ſit mentio, haud præteriri hic debet*, ἔνθεν καὶ τὸ τοῦ ΚΡΗΤΑΙΟΥ Διὸς

In voce Γάζα. παρ' αὐτοῖς εἶναι, ὃ καὶ καθ' ἡμᾶς ἐκάλουν Μαρνὰν ἑρμηνευόμενον ΚΡΗΤΑΓΕΝΗ; hinc apud illos reperitur Juppiter CRETÆUS, qvem ad noſtra usqve tempora *Marnan* appellant; quæ vox, ſi eam interpreteris, CRETAGENEA denotat. *Cujus præterea* ΚΡΗΤΑΓΕΝΟΥΣ *ſeu* Cretenſis *Jovis mentionem, quod ſupra innui, fieri videas, in veteri marmore a Seldeno primum, dein a*[(a)] *Reineſio vulgato, quo Latiorum & Olontiorum Fœdus continetur. Illud vero mirum videri forte hic poſſet, quod* ΚΡΗΤΑΙΟΣ *ſeu* Cretenſis *vocetur in hoc Ægienſium nummo puerili ætate Juppiter; quum apud ipſosmet uti paullo ante e Strabone vidimus, a Capra nutritus idem haberetur. De quo proinde haud aliud ſtatuendum videtur, niſi ut vel incertam ipſi Ægienſes minusque a ſe creditam, hanc de primis Jovis apud ſe incunabulis fabulam exiſtimaverint; vel natum quidem in Creta eundem, apud ſe vero educatum putaverint; aut denique, quod Strabo id de Ægienſibus minus vere & præter ipſorummet ea de re opinionem tradiderit. Neque certe, quem ibidem adfert, ut teſtem ejus rei vel indicem, id teſtatur Aratus, ſed tantum nutritum a Capra Jovem, eamque* Oleniam *a vatibus dictam, a loco nempe* Olenus *appellato,*

(a) Syntag. p. 501.

Phœnom. v. 164. Ωλενίην δέ μιν αἶγα Διὸς καλέουσ' ὑποφῆται.

Oleniam autem hanc Capram Jovis vocant miniſtri.

Hæc autem Olenus, *quæ cum Creta de Jovis incunabulis decertaſſe dicitur, non Achaica, quod ibi cenſuit Strabo*

bo ac *Aegio vicina*, *sed Ætolica a Statio statuitur, dicente alicubi,*

Et præceps Calydon, & quæ Jove provocat Idam, Theb. l. IV. v. 104.

Olenos.

Errant vero ibi veteres & recentes Interpretes, qui id de Oleno Arcadiæ *oppido interpretantur ; quum ipsa ibi Calydonis, primariæ, ut liquet, Ætoliæ urbis, & eorum quæ ibidem præcesserant, mentio, id omnino redarguat, &* It. Bœot. v. 146. *nota sit aliunde, ac pridem ex Homero, ne de antiquitate ejus dubitare liceat*, Ætolica Olenus ; *cujus etiam alibi tan-* l. X. p. 451. *quam alterius Achaicæ cognominis, meminit idem Strabo. Adeo ut vel hunc Geographum, luculentum alioquin ac diligentem Autorem, vel Papinium errasse sit necesse ; quorum ille* Achaicæ Oleno, *aut vicinæ eidem Ægio, Arati, qui* Oleni *tantum uti diximus in genere meminit, potissimum fide ; Papinius vero*, Ætolicæ Oleno, *illam nutriti ibi a Capra Jovis famam tribuit ; qua de re tamen nihil a viris doctis ad utrumque illum Auctorem monitum video. Quum vero apud hos Ægienses duo, ut supra indicavi, nec uno loco Jovis imberbis aut Puerili ætate simulacra exstitisse memoret Pausanias ; de* lib. VII. p. 444. *primo autem tradat, illud fuisse Jovis* Σωτῆρος *seu* Conservatoris ; *inde alterum illud, vindicis tanquam ac Ultoris, Fulmen proinde elata dextra vibrare parati, statuendum est in superiori nummo fuisse ab Ægiensibus signatum. Juvenili proinde idem ceu puerili ætate, quod unum de* Ibid. p. 445. *eo refert ibi Pausanias ; & ita quasi alius Romanorum* Vejovis, *juxta Ovidium*, Juppiter Juvenis, *& ad nocendum quod de eo tradit, uti vidimus, Gellius similiter paratus. Ideo autem expressum videtur in nummo Gen-*

quod

tis Cæsiæ ejusdem Vejovis de quo agebas, simulacrum, quod a L. Cæsio inscripto in aversa nummi parte, refectum illud forte esset ac denuo dicatum. In id enim incubuisse Augustum constat, non solum ut novis extructis aut antiquis refectis operibus, urbem ornaret, sed ut principes urbis viros, quod aperte tradit Suetonius, & arguunt plures illius ætatis nummi, ad id etiam faciendum impelleret.

in August. c. 37.

Quæ singula, prout agnosces, ut opinor, nullatenus suadent vel juvant, ut cum tali Vejovis *apud Romanos simulacro, præterito etiam in nummo, qui illud exhibet, nomine, paria, sicuti intendebas, faciat tua de signato in Abderitarum nummo,* Jove Sinistro *conjectura; atque adeo, ut novo ac insolito etiam, de quo mox, in nummis antiquis more, se* Sub *tali* Jove, *tanquam tutelari & propitio loci numine, seu* ΕΠΙ ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ *requiescere contestarentur.*
,, Neque certe video, cur, quod ais, ab Abderitis ideo ,, publicæ famæ iniquitas eo invento aliquantisper molliretur; immo quam auxisset potius, quasi Diis, quod ille ait, iratis ac infestis, iidem nascerentur; & proinde a quibus malis nullum pateret iis effugium. Nec utique facile quisquam, tali symbolo aut epigraphe veteris Abderitarum nummi, Sub Jove Sinistro, *& Grypho in aversa ejus parte, designari putasset, eam, qua, auctore ejus rei Luciano, per æstatem quandam laboraverant, Abderitæ, facetam quandam insaniam, aut id genus forte alias o- ,, borta apud eos deliria; morbum autem, ut ais, non esse ,, pudendum, sed qui dignos eos Apollinis alumnos efficeret. Ut mittam, quod antea monueram, & ipse nunc ingenue, qua de re mox, agnoscis, alio spectare omnino, nec*

ad

ad morbum, ſed ad originem urbis indicandam, ſignatum in eodem nummo Gryphum.

Haud vero tuam de hoc Abderitarum nummo opinionem corroborat ea, quam profers de Agrigentinorum nummo, in quo duæ Aquilæ Leporem diſcerpentes ſpectan„tur, conjectura; dum eo putas Hieroglyphico, interitum „denotari, binis Carthaginenſiū caſtris, Diodoro teſte, ma„turatum; eoq; proinde cives præteritæ infelicitatis memoria ad frugem incitari. Non illud ante omnia hic urgebo, an vere genuinus ſit et antiquus, expreſſus ille a te ſuperiori Epiſtola, ac antea in Theſauro tua Palatino, Agrigentinorum nūmus; & qui nunc cum reliquis ejusdem Theſauri nūmis, acceſſit Electorali huic Cimeliarchio. Illud utiq; certum, veteris Agrigentinorum nūmi expreſſas effigies ac typos in eodem agnoſci. Apud Parutam quippe, inter complures Agrigentinorum nūmos, talem videas in quo haud una ſicut in reliquis, ſed duæ ſimiliter Aquilæ Leporem venantur. Et quia in hoc terrarum tractu haud facile obvia, ac in paucorum manibus verſatur eadem Parutæ Sicilia, haud ingratum erit, neque tibi injucundum, ut nummi illius iconem hic conſpicere liceat, idque eo lubentius, quod alioquin nonnulla ſit in typis utriusque, illius nempe a te traditi, & hujusce apud Parutam nummi diverſitas.



Captum equidem ex duabus Aquilis gravida Lepore in Agamemnonis domo vesce ntibus augurium, apud [a] *Æschylum memini; de Troja nempe una cum omnibus intra ejus ambitum civium opibus diripienda; ac inde geminos Atridas, ut expeditionis illius Duces, dici a Calchante Augure* [b] λαγοδαίτας, *seu* Leporum epulatores; *Dianam vero continuo metui eidem domui Agamemnonis, ob mactatas ibi ante partum ab iisdem Aquilis lepores, infensam; dicique eam* odisse cœnam Aquilarum, [c] στυγεῖ δ' δεῖπνον αἰετῶν, *Haud aliter nempe ac eadem Diana dicitur in veteri* [d] *Epigrammate, tanquam partuum Præses, juvencam gravidam sibi immolatam liberare a morte, non æquum censens interimi parientem. Unde etiam, quod præterea observo, apud Athenienses, ut ex Athenæo liquet vetitum, ne victimæ* ἄτοκοι *ceu ante partum mactarentur. Quamquam Bovem prægnantem, e lege Numæ, apud Romanos immolatum a Vidua, quæ ante decem menses, a morte viri, ad secundas nuptias transiret, tradat Plutarchus in Numa.*

(a) βοσκόμενοι λαγίναν etc. Agam. v. 120.

μογερῶν πτῶκα θυομένοισιν. v. 140.

(b) Ibid. v. 126.

(c) Ibid. v. 142.

(d) Anth. l. 1. c. 33. Ep. 4.

lib. IX. p. 375

An vero eo, quod memoras, consilio, nummus ille ab Agrigentinis sit cusus, haud levia sunt, quæ non dubitandi solum, sed aliter ea de re statuendi ansam præbent. Primo enim, de simili horum Agrigentinorum, (post dirutam nempe a Pœnis urbem, & brevi post Timoleontis opera, quod tradit in ejus vita Plutarchus, a veteribus civibus denuo instauratam) mente, ceu, mutato prioris vitæ instituto, nullum, quod sciam, in veterum Annalibus vestigium videas. Deinde, si tale quid eis insedisset, non utique defuissent opportuniora symbola, quibus cives ad meliorem frugem incitarent, quam sola & nuda illatæ a vi-

In Timoleonte p. 453.

vicinis & cruentis hostibus cladis memoria; cujus utique ruinæ ipsæ, & pristinæ magnitudinis ac felicitatis obvia passim vestigia, iis ante oculos abunde versabantur. Immo haud ita se abjectos ac imbelles, sequutis eam cladem temporibus præstitere Agrigentini, quibus eosdem, adsertis in libertatem plurimis Sicularum urbibus, principatum totius insulæ sibi vindicasse memorat Diodorus, l. XX. p. 769. *ut se meticulosissimo [unde ei peculiare apud Græcos, juxta Pollucem, nomen] ac ignavo animali, Lepori puta,* πτὼξ Pollux. l. v. A. XLI. p. 243 *ipsimet adsimilarent. Quod abunde etiam redarguit altera nummi pars, in qua Figura quadrigis, triumphantis instar, vecta visitur; desuper autem in nummo a te prolato Aquila, in eo autem, quem modo e Paruta expressimus, Victoria stanti illi in quadrigis figuræ Coronam imponens. Quo utique consueto, ut nosti, in antiquis nummis typo, partæ insignis alicujus Victoriæ decus, nullatenus vero illatæ cladis memoria signatur, Accedit, quod non in* Agrigentinorum *solum, sed aliorum etiam, cum Siciliæ, tum vicinæ Italiæ, seu dictæ tum Magnæ Græciæ, sicuti* Adraniorum, Zephyriorum, Locrorum, Faliscorum *nummis apud Goltzium itidem & Parutam, ac in præclaris Cimeliarchiis, occurrant similes plane typi Aquilæ Leporem discerpentis. Ut vel hinc abunde liqueat, nihil in eo Agrigentinis peculiare, aut quod similis, quam adfers, notationis, seu, ut ais, Hieroglyphici vim habere aut occultare videatur. Nullos equidem Lepores in Sicilia fuisse priscis temporibus, sed ab Anaxila Rheginorum & Messanensium Tyranno, post victoriam ab eo in Olympiis reportatam, eo primum invectos, ac inde Rheginorum (adde & Messanensium) monetæ ab eo insculptos*

tradit post Aristotelem Pollux. Id vero, ut obiter nec alieno loco moneam, arguunt in hunc diem veteres non Messanensium solum, quales jam vulgarunt Goltzius & Paruta, sed Rheginorum etiamnum superstites nummi. Talis utique inter denuo editos haud ita pridem Prosperi Parisii, Romani Patritii, nummos visitur, cum utroque illo, Ἀπήνης *nempe ceu Bigarum Rhedæ, in memoriam Victoriæ in Olympiis ab Anaxila, locorum illorum Regulo, reportatæ; tum Leporis ea in loca tum primum invecti typis;*

Magn. Græc. Numism Parisii. Tab. 2.



lib. V. c. XII. p. 244. *Opportune omnino ad Pollucis ea de re, & qui inde haud parum illustratur, petitam ex Aristotele narrationem,* καὶ μὲν Ἀναξίλας ὁ Ῥηγῖνος, οὔσης (ὥς φησιν Ἀριστοτέλης) ἀγόνου τῆς Σικελίας τέως ΛΑΓΩΩΝ. ὁ δὲ εἰσαγαγὼν τε καὶ θρέψας, ὁμοῦ δὲ καὶ Ὀλύμπια νικήσας ἀπήνῃ, ΤΩ ΝΟΜΙΣΜΑΤΙ ΤΩΝ ΡΗΓΙΝΩΝ ἐνετύπωσεν ΑΠΗΝΗΝ ΚΑΙ ΛΑΓΩΝ. Tum & Anaxilas Rheginus, cum Sicilia ante, ut inquit Aristoteles, LEPORES non gigneret, hic invehens nutriensq; simul Rheda in Olympia Victor, RHEGINORUM MONETÆ RHEDAM insculpsit & LEPOREM. *Ad Aquilas vero quod* Hist. Anim. l. IX. c. 32. *adtinet, a Leporum venatione dictas Aristoteli* λαγωφόνους, *& ab Hesychio* λαγωθήρας, *eas sicuti rapaces alias id genus* vid. Fazell. de Reb. Sicul. Dec. 1. P. 1. c. IV. *aves, Accipitres puta ac Falcones, dari constat in Sicilia, facili imprimis earum in Agrigentinum agrum, ex vicina & opposita ei Africa, trajectu. Hinc illius, ut consue-*

ſuetæ Aquilis, & quidem juxta Ariſtotelem, μηλαναιώτοις, *leporinæ venationis, facta haud ſemel apud Poetas veteres, uti ſupra apud Æſchylum, mentio. Sic de Lepore, quem ex Aquilæ ungue eripit Draco, Nicander,*

Αυτὰρ ὅτε καὶ ῥῆνα καὶ ἠνεμόεντα λαγωὸν Ther. pag. 32.
Ῥεῖα δράκων ἄμερψε νέον μάρψαντες ὄνυξι;

Quin & ovem Leporemque citum per inania raptum,
Et dumo inſiliens, Aquilæ mox eripit ungue.

& alicubi apud Athenæum Epicrates Comicus,

Τοῖς ΑΙΕΤΟΙΣ, οὗτοι γὰρ ὅταν ὦσιν νέοι, Lib. XIII. pag. 570.
Ἐκ τῶν ὀρῶν πρόβατ᾽ ἐσθίουσι καὶ ΛΑΓΟΥΣ
Μετέωρ᾽ ἀρπάζοντες ἀπὸ τῆς ἰσχύος
Quod AQVILIS; hæ namque juvenes
E montibus Oves vorant & LEPORES
In ſublime raptos per violentiam.

Ita Aquilas non Lepores ſolum, ſed modo Ardeas, modo etiam Delphinum, aliumve Piſcem (ex earum proinde genere, quæ Græcis Ἁλιαίετοι, *quod* mare *nempe frequentarent, juxta veteres ad Ariſtophanem Criticos, Virgilio autem in Ceiri* Haliaetus, *dictæ) modo Serpentem quoque venantes itidem videas in aliis Siculis, ut de cæteris ſileam, Syracuſanorum, & extra Siciliam, Iſtriæ Illyrici urbis, & Chalcidenſium, cujusmodi exſtant in Gaza Gallorum Regia, nummis, Haud aliter ac Aquilam Cervi hinnulum unguibus tenentem,* Νεβρὸν ἔχοντ᾽ ὀνύχεσσι, *pridem Homerus tradiderat. Eorum vero, quos paullo ante commemoravi, aliorum nempe præter Agrigentinos, Siciliæ & Magnæ Græciæ locorum nummos aliquot, in quibus Aquilæ* λαγωθήραι *ſeu Leporem venantur, & jam ungui-bus*

Ἁλιάετος εἶδος ἀετοῦ ἐν θαλάσσῃ διαιτῶν Schol. ad Aves pag. 588.

Iliad Θ v. 248.

bus tenent, quia non apud quosvis lectores prostant, qui eos exhibent Goltzii aut Parutæ libri, vel præclara, quæ eosdem recondunt Cimeliarchia & cujusmodi etiam ostentat Electoralis hæc Gaza, hic subjicere visum est,



E quibus utique, & aliis supra a me jam adductis, abunde liquet, cum haud insolita esse in antiquis, & quidem Siculorum aut aliorum etiam locorum nummis, id genus venationum seu rapacium & λαγοφόνων *Aquilarum expressas imagines tum non adeo recens esse hoc aucupii genus, nec priscis olim Græcis, prout censuit illustris Scaliger, ignotum, quo Aquilini generis Aves ad eam Leporum venationem adhibebantur. Adeo ut nihil omnino suadeat vel impellat, ut inde Hieroglyphicum quidpiam in adlato a te simili Agrigentinorum nummo deprehendamus. Verum quamquam id tibi etiam haud invitus largiar, haud inde tamen quidquam roboris ac-*

Com. in Ceirin. p. 84.

ce-

cedet, stabiliendæ tuæ de Sinistro Jove *signato & expresso*
in Abderitarum nummo, conjecturæ; & quidem eum,
ut ajebas, in finem, ut famæ, qua laborabant Abderitæ,
iniquitas, eo invento aliquantisper molliretur. Aliud
enim esset, quod extra ullam loci aut civium contumeli-
am licuit, tantæ cladis & excidii, quale passi fuerant se-
dibus suis extorres facti, & direpta ab immani hoste ur-
be, Agrigentini, memoriam, eo, quod existimas, Aquila-
rum Leporem discerpentium Symbolo consignare; aliud
longe, ob aliquam aeris intemperiem, aut sinistram de
eadem famam, eamque e faceta quadam, qua Abderitas
per unam æstatem agitaverat, insania, immane inde, ut
ais, auctam, se ideo publico urbis ære, Sub Jove Sinistro *na-*
tos, aperte traducere ac profiteri.

Hinc opportuniorem forte, Abderitis utique magis
honorificam, hujus nummi explicationem tradere videas
ad Melam, virum magnum Is. Vossium. Nempe ad in- Obs. p. 135.
dicandam agri eorum cerealis ubertatem, nummos illos in
honorem Jovis Frumentarii *esse cusos. Ita certe se inter-*
pretari inscriptionem illam ΕΠΙ ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ; a λήϊον *enim*
seu λαΐον *nomen habere* Δία Λαΐον, *& qui idem sit plane at-*
que Ἐπικάρπιος Ζεύς. *Ne tamen & huic conjecturæ, quam-*
quam ea, ut dixi, Abderitas haud dedecoret, nec omnino
iisdem, quibus altera de Jove Sinistro *laboret incommodis,*
adsensum continuo præbeam, suadent haud pauca & com-
pellunt. Primo enim, quod illud λήϊον *seu Dorice* λαΐον *vox*
sit a Poetis demum, vix, ab aliis Scriptoribus, uno
forte excepto, qui semel illius, & alio etiam vocis,
qua de re mox, usu meminit Aristoteles, usurpa-
ta. Cujusmodi proinde voces, ubi aliæ maxime occur-
runt

runt ejusdem rei indices, consuetæ vulgari sermone ac familiares, vix locum in publicis locorum monumentis obtinent, ut alia proinde sit omnino Ἐπικαρπίου Jovis in Eubœa, juxta Hesychium, dicti, & cuius meminit etiam alicubi Dio Chrysostomus, ratio; nempe, quod καρπῶν, quo nomine omnis generis fruges Græcis ut notum, dictæ, ἄλιος esset idem Juppiter. Unde minoris Phrygiæ urbs, a loci ubertate dicta olim Εὐκαρπεία, & cujus præter Geographos, indices etiam præclari aliquot & insignes Gazæ Gallorum Regiæ nummi, sub Julia Domna & Treboniano Gallo cusi; unus cum Deæ Phrygiæ seu Cybeles, & quem alibi vulgamus, alter cum Fortunæ typis; præter alium adhuc, quem recens ante meum e Galliis discessum Smyrna, cum pluribus id genus κειμηλίοις advectum, in Museo Regio versare mihi licuit, in quo hinc Mulier seminuda dextra Hermæ imposita, cum inscrip. ΕΥΚΑΡΠΕΩΝ, illinc caput Severi cælabatur. Quamquam rarior adhuc iisdem occurrat alius insuper ejusdem Musei nummus, cujus obiter & duobus tantum verbis meminit Autor de Nummis Urbium Illustratis; in cujus nempe anteriori parte caput, more urbium consueto, turritum, & nomen loci ΕΥΚΑΡΠΕΙΑ legitur; in aversa autem area, Fortunæ typus cum memorabili inscriptione ΕΥΜ. ΦΡΥΓΙΑΣ ΣΕΚΟΥΝΔΗΣ, qui litem omnino, quod obiter addo, de situ urbis illius tollit; dum eam sicut & Εὐμένειαν, [ni Prætoris nomen ibi Εὐμενοῦς seu Eumenis statuatur,] aliam Phrygiæ urbem, non majori juxta Ptolomæum, sed minori seu Secundæ Phrygiæ cum Stephano, adscribit. Ut vero ad Jovem redeam, dictus ille itidem Ζεὺς Ἐπικάρπιος, sicut eodem sensu Ceres Καρποφόρος ab (a) Aristophane; πολύκαρπος a (b) Theocrito;

χλοό-

Orat. I. p. 9.

ΕΥΚΑΡΠΕΙΑ *turritum Caput* Harduin. p. 189.

Εὐκαρπία δῆμος τῆς μικρᾶς Φρυγίας. In *Εὐκαρπία.*

(a) Ran. p. 237.

(b) Idyll. X. v. 42.

χλοόκαρπος ab [c] *Orpheo appellata legitur, immo* Σιτοῦς *seu* (c) Hym. in Cer. v. 133.
vero Frumentariæ *nomine, Fano & simulacro, a Syra-*
cusanis, [d] *Æliano &* [e] *Athenæo testibus, culta. Un-* (d) V. H. l. c. 27. (e) l. III. p. 109. & l. X. 4. 6.
de in Romanis etiam quibusdam nummis haud vulgo
obviis, DEA FRUGIFERA h. e. καρποφόρος, *sicuti*
in veteri etiam Lapide apud doctissimum Reinesium CE- Syntagm. p. 61
RERI MATRI MAXIMÆ FRUGIFERÆ
dicitur. Quo referri tamen non debet πυρφόρος Θεὰ *de Ce-*
rere apud Euripidem, quod per Frugiferam Deam *male ibi* Suppl. v. 264.
reddit eruditissimus Canterus, pro Dea Tedifera *seu* δᾳδοῦχος
qualis vulgo eadem Ceres cum Proserpina filia in vete-
rum nummis visitur; ac sicut etiam ambæ πυρφόροι Θεαὶ
alibi ab Euripide dictæ, ubi bene Canterus igniferæ Deæ, Phœn. v. 694.
ὁ πάνυ *autem Grotius* arcanis facibus colendæ; *aut Cupido*
πυρφόρος, *seu face itidem accensa armatus, in vetere E-* Anthol. l. VII. Ep. CXIX.
pigrammate; aut vero πυρφόρος Θεὸς *de Peste* febriles ar-
dores immittente *a Sophocle dicitur. Unde etiam, quod* Oedip. Tyr. v. 21.
præterea ac obiter observo, πυρφόρος *a Senioribus in*
Abdia, male frumentarius, *simili cum Cantero erro-* Abd. v. 18.
re, a Latino Interprete (quod ei, ut alibi σὺν Θεῷ *do-*
cebimus, sæpenumero contigit) vertitur, pro ferens
ignem, *ut bene ibi Arabicus Interpres, seu quod He-*
bræa vox ibidem denotat, superstes, *& qui proin-*
de ignem seu focum possit in domo Esavi accendere.
Mitto vero hic alias non πυρφόρου *quidem sed* [a] πυροφόρου (a) Δηῶς ἀύλωκα πυροφόρου Mosch. Epigr.
seu Frugiferæ *hujus Deæ petitas ex eodem fonte nomenclati-*
ones, quas Græci Autores interdū ei tribuunt, sicut πολυτρόφου,
πολυμεδίμνου, πολυστάχυος, *nusquam vero* ληΐου *ceu Dorice* λαΐου *aut*
vero πολυληΐου, *quod postremum Æmoniensibus Thessalis, ut*
feraci agro ditibus, largiri alioquin novi [a] *Apollonium* πολυλήϊοι Αἱμονιῆες. l. I. 509.
ali-

(b) l. I v. 51.

alibi autem & alio etiam ſenſu, ceu (b) prædatoribus *ſtrenuis, duobus Mercurii filiis, Eryto & Echioni. Quin idem* Ἐπικάρπιος *Juppiter,* Ἀλδήμιος *ſeu* Ἄλδος *Gazæ in Paleſtina, quod augeret fruges iisque daret incrementum,* ἐπὶ τῆς αὐξήσεως τῶν καρπῶν, *ut Etymologi M. Auctor tradit, cultus. Adde etiam* λήϊον *aut* λαῖον *ſubſtantivi vim habere vulgo apud Græcos Poetas; unde* βαθὺ λήϊον *aliquoties apud Homerum ac Heſiodum*, altam ſegetem *notare; aut potius juxta veteres* (a) *Criticos, & quod erudite jam ad Heſiodum monuit, magnum hodie literarum decus* (b) *Grævius*, magnum agrum ſegetibus conſitum. *Quamquam priorem etiam, quod obiter addo, explicationem tueri videatur alius apud Poetam locus, ubi lætatum Menelai animum tradit, veluti rorem circa ſpicas,*

τὸ ἀλδαίνω τὸ αὐξάνω. Etim. M.

(a) Schol. ad Iliad. β. v. 147. & Heſychius.

(b) ad Heſiod. Scut. v. 288.

Iliad. ψ. v. 599.

Ληΐου ἀλδήσκοντος, ὅταν φρίσσουσιν ἄρουραι

Segentis creſcentis, quando denſantur arva.

ubi λήϊον *de* Segete *potius, quam de ipſo* arvo, *a quo etiam ibi diſtinguitur, ſumendum liquet, ſicuti & apud Theocritum* κατέβαλε τὸ λαῖον dejice *aut* demete Segetem, *aut apud Ariſtotelem, unico illo, quo meminit ejus loco, de canibus, qui lumbricis infeſtantur,* ἐσθίουσι τοῦ σίτου τὸ λήϊον tritici ſegetem (*vel* gramen *juxta Jul. Scaligerum*) depaſcuntur. *Sed quamvis uterque vocis illius* λήϊου *ſeu* λαΐου, *pro* Segete *aut tritici gramine, & pro* arvo Segete conſito *aut* frugifero *uſus ſtatuatur, haud proinde* Ζεὺς λάϊος *aut* λάϊος, *ſeu* Juppiter Frugifer *aut* Frumentarius *dici continuo cenſendus eſt, multo minus, ut idem Deûm Parens, ut vidimus ubi maxime tot aliæ opportuniores & communi uſu receptæ ſuppeterent, voce Poëtis demum familiari, publico Abderi-*

Idyll. v 21.

Hiſtor. anim. l. IX. c. VI.

deritarum ære signaretur. Accedit, quod in iisdem nummis, nulla Frugiferi & Frumentarii *Dei, pro more in aliis consueto, occurrant symbola vel insignia, puta vel Modii, aut Calathi cum Manipulo spicarum, vel Lancis Frugibus plenæ, vel Coronæ Spiceæ, vel Spicarum, quas dextra præferat* Ἐπικάρπιος *ceu* Καρποφόρος *hic Deus, & quæ Serapidis alioquin, Frumentarii Alexandrinorum ceu quod veteres etiam Inscriptiones ei tribuunt, FRUGIFERI numinis, aut FRUGIFERÆ alioquin CERERIS solita sunt ac obvia in veterum nummorum penu symbola; & quo respicit alicubi de postrema loquens Theocritus,* SARAPI FRUGIFERO Synt Reines. p. 169.

Δράγματα καὶ μήκωνας ἐπ' ἀμφοτέρῃσιν ἔχοισα Idyll. VII. v. 157

Spicarum manipulos & Papavera utraque manu gestans.

Præter Spicas enim, ceu Spicarum manipulum, vulgo Papaver etiam, aliud fecunditatis symbolum, Deæ hujus Frugiferæ simulacris in nummis & marmoribus antiquis, quod obvium, addi consuevit. Nihil vero hic tale, de hisce Abderitanorum nummis loquor; non Modius, aut Lanx, aut Calathus cum Manipulo Spicarum aut Frugum; non Spica præ Dei manibus; non Corona Spicea, sed juvenile demum & laureatum caput. Quod proinde nullum Frumentarii Dei *symbolum aut insigne præfert; sicuti alioquin* Καταιβάτου, Κεραυνίου *vel* Fulgeratoris, Tonantis, Ultoris Jovis *in Græcis aut Romanis nummis simulacra, Fulmine continuo armata, aut Fulmine etiam supra Mensam posito, designari videas. Quibus addam denique, eodem incommodo premi hanc de hujus nummi explicatione viri doctissimi opinionem, eo, quo uno tuam conje-„ cturam subrui, quem in medium nempe produxeram in-*

,, *inſcribendorum numiſmatum more*, *tibi ingenue conteſtari libuit. Id nempe, quod ſuperiori ad Te Epiſtola monueram, nullum hactenus, quantum equidem recordari licet, a me nummum obſervatum, in quo illud* ΕΠΙ *Jovis aut aliorum Deorum nominibus, quæ totiens & cum variis etiam cognominibus in iisdem ſignantur, junctum occurrat; paſſim vero Prætorum aut loci Rectorum nominibus, ſub quibus nummi id genus cuſi, ſocietur; neque proinde, quod inde eruitur*, Sub Jove Frumentario *magis quam* Sub Jove Siniſtro, *explicari debere hanc nummi Abderitarum epigraphen*, ΕΠΙ ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ.

Nihil equidem certius, quod & ipſe, ſicut modo innui, libere agnoſcis, non in nummis ſolum aliisque monumentis antiquis, ſed apud Auctores etiam paſſim, & cujus ſexcenta exempla dari hic poſſent, ſi ea res ulla ulteriori probatione indigeret, nempe illud ΕΠΙ *tempus regiminis ceu Rectorum loci, ſub quibus res acta eſt, tantum denotare. Hinc toties in Græcorum nummis, quamquam non integris ſemper, ſed aliquot initialibus litteris, compendii cauſa, expresſis, occurrit illud* ΕΠΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ; ΕΠΙ ΑΣΙΑΡΧΟΥ; ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ; ΕΠΙ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ; ΕΠΙ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ; ΕΠΙ ΗΓΕΜΟΝΟΣ; ΕΠΙ ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ; ΕΠΙ ΣΟΦΙΣΤΟΥ, *etiam, additis poſtea eorum nominibus, qui illis tum muneribus* Pontificis, Aſiarchæ, Archontis, Proconſulis, Præſidis, Scribæ, Sophiſtæ *quoque fungebantur; quandoque autem cum ſola nominum, omiſſa omni ſimilis dignitatis mentione; ſicut frequenter in nummis Antiochiæ Syriæ Metropolis*, ΕΠΙ ΦΛΑΚΚΟΥ; ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ; ΕΠΙ ΠΕΤΡΟΝΙΟΥ; ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ; ΕΠΙ ΜΥΝΟΥΚΙΑΝΟΥ; ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ; ΕΠΙ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ;

ſicut

sicut ΕΠΙ ΒΟΛΑΝΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ; *totidem Romanorum Syriæ, postremi autem Proconsularis Asiæ, Rectorum, aliorumque id genus, quæ obvia & nota iis, qui nummos veteres consulunt ac versant. Neque id perpetuo tamen in Græcorum nummis factum, in quibus nempe crebro etiam, sicuti apud Auctores subinde, nuda dignitatum ac eorum, qui iis præerant, nomina cum recto tum obliquo casu, sine ulla præmissa illius* Επι *mentione signantur; ut* ΖΗΛΙΟΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΑΦΡΟΔΙΣΙΕΩΝ, Zelius Pontifex Aphrodisiensium; Λ. ΜΙΝΔΙΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΠΑΤΡΩΝ; L. Mindius Proconsul Patrensium *seu Achaiæ; seu* ΑΓΡΙππΙΝΟΣ ΣΤΡΑ. *seu* Στρατηγὸς, Agrippinus Prætor; ΑΤΤΑΛΟΣ ΣΟΦΙΣΤΗΣ Attalus Sophista, *in nummis Smyrnæorum & Laodicensium, pluresque id genus. Sic obliquo etiam casu*, ΦΡΟΝΤΩΝΟΣ ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ Frontone Asiarcha & Pontifice, *Communis nempe Jonum;* ΑΝΘΥ. ΚΑΙΣΕΝ. ΠΑΙΤΟΥ ΕΦΕ. Proconsule Cæsennio Pæto Ephesiorum, *seu Asiæ;* ΣΤΡΑ. ΗΡΑΚΛΗΙΔΟΥ Prætore Heraclide; *& quæ occurrunt sexcenta hujus notæ in nummis antiquis. Unde male utique* ὁ πάνυ *ad Solinum, & qui inde jure* pap. 157. *alicubi a doctissimo Petavio arguitur, existima-* Misc. Exercit. c. VII. *vit, Græcos perpetuo illud* Επι, *Archonton seu Magistratuum nominibus præmisisse, numquam autem ita loquutos, ut sine illo nomina eorundem efferrent. Constat equidem, quod observo, Regum nomina vulgo citra illud* Επι, *tanquam infra eorum dignitatem positum, expressa in eorum nummis; Sicut* ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ; ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ; ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ, *& ut alios Alexandri Successores mittam,* ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ; ΒΑΣΙΛΕΩΣ

ΗΡΩΔΟΥ; ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΓΡΙΠΠΑ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑ-ΚΟΥ, *& in ſimilibus, quicunque occurrunt in hac penu nummaria, variarum Gentium Regibus; quibus præter aliquos forte ſignatos ſub Domitiano, Regis Agrippæ Cæſarum, ut aliunde liquet, clientis nummos, nuſpiam, ut dixi illud* ΕΠΙ *(quod apud Auctores cæteroquin qui de iis agunt haud infrequens) haud magis ac Deorum, quod paullo ante vidimus, nominibus, præmiſſum in antiquis eorum nummis reperias. Unde etiam in eo, de quo inter nos agebatur, Abderitarum nummo, una voce, non duabus* ΕΠΙΔΙΟΣ, *addito* ΛΑΙΟΥ *nomine, ſeu* Epidius Laji *ſcil. Filius legendum conjeceram, quo Prætore nempe aut Præſide, Abderitarum nummus hic ſit cuſus. Qua in re utique, cum ſingula illa, quibus vel tua vel viri magni Iſ. Voſſii de hac nummi epigraphe ſententia vel interpretatio amoventur incommoda, & quorum vel uno* ſubrui tuam de eo conjecturam *aperte agnoſcis; tum nihil equidem a more in priſcis id genus monumento recepto alienum ſtatuitur. Cujus utique, ut de antiquis Lapidum. Ubi id paſſim obvium, Inſcriptionibus nihil dicam, plurima in veteribus etiam Græcorum nummis ſe offerunt exempla, atque ut uno vel altero hic defungar,* (a) ΠΡΩΔΙΚΟΣ ΠΑΛΑΜΗΔΟΥ. (b) ΓΟΡΓΩΠΑΣ ΣΩΣΙΠΑΤΡΟΥ. ΘΕΜΙΣΤΟΓΕΝΗΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. ΠΕΤΡΑΙΟΣ ΠΑΛΟΥ. ΕΡΜΙΠΠΟΣ ΕΡΜΟΓΕΝΟΥΣ *ceu* Prodicus Palamedis *nempe* Fil. Gorgopas Soſipatri; Themiſtogenes Philippi; Petræus Pali; Hermippus Hermogenis *in antiquis Calydoniorum, Theſſalorum aut Philadelphenſium Proconſularis Aſiæ nummis, ut plures id genus mittam, legitur. Immo duos Abderitarum nummos obiter jam ſupra indicavi, qui non apud Goltzium ſed in præcla-*

in Cimel Reg. Gall.

a) Goltz. Reg. Græc. T. VII.

(b) in Cimel. Reg. Gall. & aliis Muſeis

claris Galliæ Cimeliarchiis prostant, cum signatis in iisdem loci Rectoris nominibus, & in quorum uno - - - - ΚΟΣΙΟΣ' reliquis litteris exesis, in altero MENAN. seu nudum Menandri nomen apponitur, quale etiam, ut pote multis apud Græcos familiare, in aliorum locorum nummis occurrit, ut in insigni Tripolitarum ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ. Sicut nempe passim in Athenarum vel Proconsularis Asiæ, Ephesi, Smyrnæ aut Chiorum numismatibus, nuda Archontum aut Prætorum nomina, recto ut plurimum casu efferuntur, ΔΩΣΙΘΕΟΣ; ΘΕΟΔΟΡΟΣ ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΣ; ΤΙΜΟΣΤΡΑΤΟΣ; ΚΑΛΛΙΣΘΕΝΗΣ; ΑΠΕΛΛΗΣ; ΦΙΛΩΝΙΔΗΣ; ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΣ; ΜΟΣΧΟΣ; aliique plures id genus. Idem vero statuere virum eruditum, in Addendis libri de Nummis urbium Illustratis, postea lubens animadverti, nempe adjectum huic Abderitarum nummo apud Goltzium, Prætoris nomen ΕΠΙΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ Fpidius Laji F. Unum autem hic tibi dubium subortum tangis, quod Epidii Gens Romana fuerit, sicut ex Inscriptione Gruteriana, quam adferre tibi libuit & Suetonio colligis, non autem Græca. Quamquam eum haud difficulter scrupulum tibi ex animo evelles, Vir Eximie, si reputare lubeat, post peragratum Romanorum Victoriis Orbem, Romanisque inde civibus, frequentatas præcipuas nobilissimasque Europæ Asiæve regiones, aut eas in Romanorum fidem ac ditionem receptas, Romana inde passim nomina in priscis earundem gentium monumentis legi; sicuti Græca etiam & peregrina Latio donata, ac Romanis passim nominibus sociata, tot superstites antiqui lapides, si aliunde nesciretur, abunde utique comprobarent. Qua ratione itidem factum, ut Romana passim loci Præsidum nomina, in

Harduin. p. 562.

in Græcis eorundem locorum nummis signentur. Hinc ne longius, ceu a vicinis Thraciæ Regionibus abeam, Annius; Cæsennius Pætus; Marcellus; Apronianus; L. Mindius; Claudius Rufus; Papirius Carbo; Cajus Vibius; Plancius Varus; Cœlius Balbus; Sextilius; *aliique Romani viri aut Romanis adnumerati, in Græcis Proconsularis Asiæ, Achaiæ, Bithyniæque urbium nummis occurrunt. Immo ut infra Thraciæ, ubi Abdera, fines me contineam,* Ælii Pontici; Gargilii Antiqui; Julii Casti; Julii Marciani; Pontii Sabini; Pomponii Oenopisci; Tullii Maximi, *tanquam totidem Thraciæ* Ἡγεμόνων *seu* Præsidum *nomina præferre videas Græcos aliquot, (& de quibus quandoque alibi) plerosque Regiæ Gallorum Gazæ, nummos,* Byzantii, Marcianopoleos, & Augustæ Trajanæ, *totidem etiam, sicut* Abdera, *Thraciæ urbium. Quo loco obiter illud observo citari a laudato modo Auctore de Nummis urbium Illustratis, unum ex iis ejusdem Gazæ, cum Crispinæ Commodi Conjugis in anteriori parte effigie, & in aversa* ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ Η. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ, *sed quem male explicat, sub* Ælio Pontico Octies Prætore Byzantiorum; *duplici errore; uno quod sola numerali, ut existimat, nota,* Prætorem *putet ibi designari, altero graviori, quod eandem litteram* Η. Octies *vult ibidem denotare, quæ tamen ibi initialis littera est vocis* Ἡγεμόνος, *et* Præsidem *Thraciæ seu Byzantii, non* Prætorem *eundem* Ponticum *innuit. Quum enim aliæ, ut notum, Romanorum Provinciæ Proconsulares, aliæ Prætoriæ, alio vero essent Præsidiales, postremi generis legimus fuisse Thraciam, & aperte arguunt adducti superiorum locorum nummi, in quibus eadem* Ἡγεμόνος *dignitas, sub initialibus litteris* ΗΓ. *vel*

vel ΗΓΕΜ. & in adducto Byzantiorum nummo, sola etiam prima vocis littera Η. [ut sæpe Σ. στρατηγὸν in aliis nummis notat] designantur. Immo similem etiam observavi pridem Romæ, inter alios Christinæ Augustæ, accurate tum a me inspectos & adnotatos, sub ipso Commodo cusum, ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ ΕΠΙ ΠΟΝΤΙΚΟΥ Η. Byzantiorum sub Pontico Præside. Neque vero soli missi a Romanis Provinciarum Rectores, Romanis passim nominibus, in nummis signantur, sed alii insuper dignitatibus in iisdem functi puta Pontifices, Asiarchæ aut qui Prætores vulgo in Græcis urbibus appellati, aut Scribæ, ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ, ΑΣΙΑΡΧΑΙ, ΣΤΡΑΤΗΓΟΙ, ΓΡΑΜΜΑΤΕΙΣ, quales Claudius Fronto Asiarcha simul & Pontifex; L. Aurelius Prætor & Asiarcha; Domitius Rufus & Aurelius Tertius, itidem Asiarchæ; Claudius Bias; Julius Saturninus, pluresque magno numero Pontifices seu ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ, in Proconsularis Asiæ, Bithyniæ, aliisque eorum tractuum nummis, de quibus nos alibi plenius quandoq; leguntur. Immo nec ullum facesset negotium Epidii Laji, seu Romani cum Græco cognomine in hoc Abderitarum nummo societas; quum nihil frequentius non in Autorū solum, sed Lapidum potissimum, & Numorū etiam monumentis occurrat. Unde ut de hisce demū loquar, eaq; Romanis vocibus tradam, Aurelius Socrates; Aurelius Alexander; Aurelius Hephæstio; Flavius Physicus; Claudius Bias: Ælias Demetrianus; Ælius Onesiphorus; Aurelius Zeno; & plures id genus signati cum Romanis Græcisque junctis nominibus, in Græcis iisque præclaris Bithyniæ, Cariæ, Lydiæ, Phrygiæ urbium, aliisque id genus nummis. Quod in orbe Romano ipsaque urbe gentium Domina, uti indicavi paullo ante, constat invaluisse; dum nempe peregrini, vel adoptione, vel clientela, vel manumissione, Patronorum sibi aut

adoptantium e Romanis Nomina adsciscunt ; aut vero Romani possessionibus, domicilio, quod sibi fixerant in peregrino solo, hæreditatibus, aliave de causa, vernacula iisdem locis nomina, quæ Gentilitio nempe adderent, frequenter adsumunt ; & cujus equidem rei exempla antiqui rursus lapides, ubi alia deessent, ad satietatem utique suppeditarent. Qualem addere licet hic opportune,

Syntigm. p. 749.

in quo nempe apud Reinesium legitur EPIDIÆ NERIÆ, *ceu ut idem Vir doctissimus legendum putat,* NEREIDI, *vel* NERITIÆ, *Græca itidem utraque. Dictus itaque in hoc Abderitarum nummo* ΕΠΙΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ Epidius Laji *Filius, more iterum, sicuti apud Auctores, ita in aliis monumentis antiquis passim obvio, ut de eo quidpiam hic monere valde esset supervacaneum.* ΛΑΙΟΥ *certe seu* Laji *Græcum nomen & apud Græcos usitatum, notius quam ut probatione indigeat ; sicut e sequiori sexu dicta inde celebris forma, juxta & infami quæstu* ΛΑΪΣ *seu* Lais. *Unde, ut alia hic mittam, præter infelicem illum & decantatum Poetarum Fabulis Thebanorum Regem, eo etiam nomine dictus legitur apud Antonium Liberalem, unus ex iis, qui Dictæum Antrum ingredi ausi, erepto inde melle, & fasciis scilicet Jovis conspectis, in cognominem avem simili sociorum fato mutatus fertur.*

εἰς τοῦτο παρελθεῖν ἐθάῤῥησεν Λάϊος &c. Metam. c. XIX.

Epidius *hic itaque in hisce Abderitarum nummis, alterius* Epidii *cognomine* Laji *Filius. Adeo ut nihil ea in re novum aut insolitum occurrat, immo quod non sit cum alibi, tum in hac veterum nummorum suppellectile consuetum.*

Neque vero debet hic te ullatenus morari, ne calculum, ut ais, tuum omnino adponas, quod in nummo Cimeliar-

liar-

„ liarchii hujus Electoralis, eo quamquam, quod ibidem „ agnoſcis, non indubitatæ antiquitatis, ſed tamen ad „ antiqui ectypum ad minimum, ut exiſtimas, formato, „ legatur, non quidem, ut in Nummis Goltzianis ΕΠΙ ΔΙ-„ ΟΣ ΛΑΙΟΥ ſed ΕΠΙ ΠΥΘΟΛ - - - Unde conjicis fieri po-„ tuiſſe, ut in vocibus ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ, ob litterarum obſcurita-„ tem & convenientiam, erratum forte fuerit, eorum-„ que loco ΠΥΘΟΛΑΟΥ aut ſimile quid legi debeat. Addis tamen, idque caute ſimul & ingenue, cum in duobus „ nummis error præſumendus non ſit, meram eſſe conje-„ cturam ad conſpectum genuini nummi vel etiam indu-„ bitatæ ſententiæ facile ruituram. Quæ equidem ita ibi a te proferuntur, ut ea vitio vertere jure nemo equidem posſit, ſed laudare potius fidem & candorem debeat. Neque tamen haud eo minus agnoſces, quo uſu in hac penu antiquaria, & peritia haud vulgari, es inſtructus, e nummo dubiæ vetuſtatis, nullum validum ſatis argumentum poſſe erui, unde de fide aut errore, qui in duos nummos, genuinos illos & pro vere antiquis a viro ſumme in his exercitato editos, obrepſerit, ſtatuendum ſit; aut ut iidem, ad ſuſpecti & adulterini nummi normam, continuo ſint refingendi. Accedit, quod in Gaza Medicea, ſimilis omnino duobus a Goltzio productis nummis occurrat, ΕΠΙ ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ; immo iisdem etiam geminum, quod in Schedis itidem meis opportune notatum reperio, apud Leonardum Agoſtini, celebrem tum urbis antiquarium, Romæ quoque obſervarim. Adde, quod ex aliis inſuper Abderitarum nummis, quales duos, unum argenteum, alterum æreum recondit Gaza Gallorum Regia, liqueat, illos, & quod ſupra jam obiter indi-

cavi, cum iisdem omnino qui apud Goltzium typis, sed cum aliis loci Rectorum nominibus, quam vel Epidii, *vel* Pytholai, *pro consueto nempe veterum id genus nummorum more, signari; unum nempe cum exesis aliquot vetustate litteris,* ΕΠΙ Γ - - - - ΚΟΣΙΟΣ, *ni adhuc fallant postremæ istæ litteræ, alterum cum expresso* ΜΕΝΑΝ - - - *seu* Menandri *nomine. Ut mittam denique in eo demum, rei de hoc Abderitarum nummo inter nos controversæ momentū & cardinem verti, an quæ prostat apud Goltzium, & quam inde in Observationibus tuis vulgasti,* ΕΠΙ ΔΙΟΣ ΛΑΙΟΥ *epigraphe, distingui & explicari a te debeat,* Sub Jove Sinistro, *idque suadeant vel probent, quas adtuleras ejus rei rationes ac auctoritates. Quod mihi utique sat multis, & uti equidem opinor, haud invalidis, vel te ingenue id agnoscente, argumentis convellendum fuit. An autem* Epidius, *an vero alterius Abderitarum Rectoris ceu Magistratus nomen, in duobus eadem signantibus apud Goltzium nummis, compareat, in eo utique parvi aut nihil refert; nullum certe ad rei illius, de qua inter nos agebatur, momentum habere fatendum est.*

De GRYPHO in altera Abderitarum parte numī signato, non occurrit amplius quod moneam. Id enim factum superiori ad te Epistola docui, in Originis suæ, ceu deductæ eam urbem a Tejis, quod tradiderunt veteres, Coloniæ memoriam: In Tejorū *autem antiquis et insignibus, quos videre mihi hactenus in præclaris Cimeliarchiis & Gaza potissimū Gallorū Regia nummis, et quales aliquot recensui, insculptum spectari in aversa eorū parte Gryphum: Hinc consueto Coloniarum more, ac in hac ipsa numorum penu passim obvio, & de quo nos alibi plenius, signatum in Abderitarū* Herodot. l. 1. c. LXVIII. Strab. l. XIII. p. 644.

num-

nummis Gryphum, haud aliter ac Pegasus in Syracusanorum & Corcyræorum, qui a Corinthiis orti, numismatibus passim adhuc visitur. Hæc autem singula, quum indubiis veterum auctorum ac nummorum documentis innitantur, tuum etiam meruerunt calculum; adeo ut hunc Abderitarum nummum, ad Tejos, tanquam originem seu metropolim omnino respicere agnoveris, omissa omni ulteriori ea de re disquisitione. Eadem vero occasione monueram, signatam in anteriori nummi area, imberbis et laureati capitis effigiem, non ad Jovem *utique* Sinistrum, *vel ad* Abderum, *a quo urbi, ut volunt* (a) *nonnulli, nomen & solemnes inde ac* a) in Exc. Strabon. 331. Stephanus in Ἄβδηρα.
stati in ejus memoriam, teste Philostrato, apud Abderitas l. II. de Icon. p. 817.
Agones; aut vero ad Tisamenem Clazomenium, alterum Abderæ conditorem seu restauratorem, et pro Heroë deinceps l. I. c. CLXVIII.
ab iisdem, auctore Herodoto, cultum referri posse haud incommode, pro more ubique in aliarum Græcarum urbium nummis haud infrequenti, tradideram. Cui postremo suffragari potius videtur, et hoc loco non prætereundum, quod non Abdero *Herculis delitiis, & juxta Ptolomæum Hephæstionem apud Photium, Patrocli fratri, sed* Abderæ *Thracis Diomedis Sorori, conditæ denominatæque hujus urbis laudem* Phot. Biblioth. p. 483.
alii, inter quos (a) *Mela &* (b) *Solinus, tribuant. Quam opinionem etiam de prima urbis suæ origine, alteri de* Abdero *Herculis comite prætulisse ipsos Abderitas arguere omnino videntur alii eorum nummi. Ad quam* Abderam, *proinde, quod jam ad Stephanum vidit doctissimus Holstenius, & qui ab eo, quamquam dissimulato nomine, sicuti plura id genus, hausit in Addendis eruditus Auctor de nummis Urbium illustratis, ad quam inquam* Abderam *referendus est ille qui priores duos* (a) lib. II. c. 2. (b) cap. X. Harduin. p. 561.

duos excipit apud Goltzium nummos in quo caput muliebre in quadrangulis inclusum, cum inscriptione ΑΒΔΗΡΑΣ ΚΟΡΑΣ, Abderæ Virginis, κόρας *Dorice pro* κόρης. *Ita ut hanc opinionem de prima urbis suæ origine, ejusque inde appellatione, alteri de* Abdero *Herculis comite, prætulisse ipsos Abderitas, luculento & domestico hoc eorum testimonio, abunde liqueat. Unde etiam in prioribus illis, quos modo innui apud Goltzium nummis, cum imberbi & laureato capite, unoque ex iis itidem in quadrangulo, non* Abderum *adeo, quam urbis uti paullo ante diximus, Heroem ac Restauratorem* Tisamenem *signari, licet continuo statuere; aut vero (missis aliis conjecturis, & unde cælatus etiam opportune in aversa nummi parte Gryphus) ipsum Apollinem. Unde e duobus hisce apud Goltzium Abderitarum nummis, prior cum laureato & imberbi capite in quadrangulo, haud male posset Apollini, securius certe quam Jovi, tribui; alterius vero nummi facies aliquantum ab eo ut videtur, diversa, non ad Philippum equidem uti conjecerat Nonnius, sed ad Cassandrum potius, [quod Custodi Gazæ Mediceæ Fittono, quamquam dubitanter, in mentem etiam venerat] a qua utique non abludit signata illius in aliis apud Goltzium nummis effigies, & praeterea tanquam Abderitarum Evergetem referri. Autor enim Justinus, Abderitas ob murium ranarumque multitudinem, patrium relinquentes solum, a Cassandro facta partitione in societatem receptos, agris etiam iis adsignatis. Occurrit equidem in Gaza Gallorum Regia similis Abderitarum nummus, cum iisdem omnino, qui apud Goltzium in utraque nummi area, hinc imberbis scilicet & laureati capitis, illinc*

lib. XV. c. 2.

Gry-

Gryphi typis; nisi quod non Murem equidem aut Ranam, sed Muscam *a tergo laureati capitis signari, in Schedis meis notatum reperio. De eo an ita omnino se habeat (talia enim ob nummos sæpe vetustate attritos, aut non accurate satis expensa, peritos etiam ac attentos antiquarios subinde fugiunt aut fallunt) nihil possum nunc certo adfirmare; statuent vero præclari vere Regii illius Thesauri custodes, ac evincet ipsius inde nummi, si nancisci illum singulari eorum beneficio dabitur, verus ac genuinus typus. Scio equidem vel* Muscas, *vel* Apes, *vel* Locustas, *ut de* Ephesiorum *nummis, cum noto in iis Apium insigni nihil dicam, occurrere in Siculis* Messeniorum; *aut* Neapolitarum, Bruttiorum & Metapontinorum *Magnæ olim Græciæ, apud Parutam & Goltzium nummis, & in eorum nonnullis expressam itidem, a tergo* (a) *Junonis ac* (b) *Dianæ capitum,* Muscam *vel* Apem, *eique postrema, ferax præstantissimo melle, quod aliunde etiam liquet, agrum prædicat.* (a) Neapol. Goltz. tab. XII. 3. (b) Brittann. Tab. XXIV. 3. *Apud Macedonas autem, quibus Thraces, & ea potissimum Thraciæ pars, in qua Abdera, finitimi, Muscas peculiares exstitisse tradit Ælianus,* de Anim. lib. XV. c. I. ἱππούρους *indigenis dictas, & quibus ad inescandos pisces uterentur.* Mures *vero quod adtinet, & fugatos inde patriis sedibus, a Cassandro autem societate & agris donatos Abderitas; ac unde in beneficii illius memoriam publico urbis ære signatum eundem Cassandrum, haud male licet arbitrari; ubi maxime convenit ejusdem expressa in aliis Regis illius nummis effigies, modo cum diademate, modo cum laureato tantum capite. Qua de re licebit lectori judicium, cui illud ea de re integrum relinquimus, e sequentibus nummorum iconibus ferre;*

qua-

quarum prima Abderitarum, de quo agimus, nummum; altera Caſſandri quod arguit, averſa nummi pars, vultum præfert,



Notum equidem Apollini Smintheo, ob liberatos quondam a Murium multitudine ac damnis Æolas ac Troas, non ſacratos ſolum Mures, ſed ejusdem pede calcantis murem ſimulacrum ab iisdem erectum, immo eundem Deum Sminthei nomen etiam inde nactum. Cui haud diſſimile quinque olim Palæſtinæ urbium factum memorant ſacræ litteræ, dum in memoriam vaſtati a Muribus, ob retentam ab iis Fœderis arcam, eorum agri, quinque Mures aureos fabricaſſe eædem leguntur. De Smintheo autem ſeu Murium depulſore hoc Apolline, conſuli poteſt, qui, inſignem Alexandriæ Troadis, cum nomine ΣΜΙΝΘΕΩΣ hujus Apollinis, nummum, meumque etiam qualecunque de eo judicium in præclaro opere vulgavit vir comitate, eruditione & ampliſſimi muneris dignitate illuſtris Cuperus. Immo unde etiam occurrunt Mures ſignati in duobus Tenediorum apud Goltzium nummis, apud quos nempe cultum eundem Apollinem Smintheum, vel ex primo Iliados, & Strabone inſuper abunde liquet. Neque vero Tenedus ſolum, ut notum Troadi vicina extitit;

Ælian. de Anim. l. XII. c. 5. Strab. l. XIII.

1. Sam. VI. 5.

Monum. Antiq p. 210.

l. XIV. p. 604.

tit;

tit; ſed ſucceſſu temporis, quod docet alicubi Pauſanias, Alexandriæ Troadi etiam ſubjecta. lib. X. p. 634.

V. De Nummo TENEDIORUM.

OCCURRIT *vero hic opportune poſtremus, de quo obiter tecum egeram, & in quo etiam ſuperior tua ad me Epiſtola deſinit, eorundem Tenediorum nummus; qualis cum ſimilibus, Bicipitis nempe in prima nummi area vultus, et in altera Securis, in laudato modo ampliſſimi Cuperi opere adductus ac illuſtratus legitur. Quum autem a communione & concordia maritali Conjuges, eo numiſmate bifrontis capitis a Tenediis expreſſos deſignari, prolata eam in rem nummi ipſius icone, neque præterea quidquam de eodem aliud indicaſſes, inde paucis & en* παρέργῳ *tantum ibidem innui, ab Ariſtotele explanatum pridem fuiſſe hunc nummum, traditamque omnem cum bicipitis Capitis, tum Securis eodem ſignatæ cauſam & originem. Id autem omne quale eſſet, ut notum, jam & ab aliis monitum, omittendum ibidem cenſui; indicaſſe contentus, unde vera de biformi in Tenediorum nummis capite, mens & ſententia peti continuo poſſet. Tradit enim, ne id nunc quoque prætercam, in Tenediorum Republica Ariſtoteles, non ſolum deprehenſum in adulterio filium, juxta legem a Patre de utroque adultero capite plectendo latam, ſecuri percuſſum, ſed inde in Tenediorum nummis, ab una parte Securim, ab altera duo Capita, ad ejus rei, quæ Filio contigerat, memoriam, inſculpta. Ita enim Ariſtotelis ea de re locum retulit Stephanus, & cujus poſtrema ea de re verba, id quod*

mo-

in voce Τένεδος *modo dixi, aperte memorant ;* Διὰ τοῦτό φησι καὶ ἐπὶ τοῦ νομίσματος τῶν ΤΕΝΕΔΙΩΝ κεχαράχθαι ἐν μὲν τῷ ἑτέρῳ μέρει ΠΕΛΕΚΥΝ, ἐπὶ δὲ τοῦ ἑτέρου ΔΥΟ ΚΕΦΑΛΑΣ ΕΙΣ ΥΠΟΜΝΗΣΙΝ τοῦ περὶ τὸν ΠΑΙΔΑ παθήματος ; Quare, inquit, & in numismate TENEDIORUM ſculptum fuiſſe, in una parte quidem, SECURIM ex altera DUO CAPITA in ejus, quod FILIO acciderat, MEMORIAM. *Quibus equidem verbis illud aperte ſatis indicari videtur, percuſſum ideo Regis Tenediorum juſſu, hunc nummum, ut memorandi caſus ratio & exemplum, perpetuo ante ſubditorum oculos, immo alte eorum animis maneret inſculptum; iisque veniæ omnis, ſi talia patrarent, ſpem plane inpoſterum præcideret; ſignatam proinde ab una parte Securim; ab altera duo, quod ait ibi Ariſtoteles, ſeu juncta Regii illius adoleſcentis & adulteræ Capita, quæ ſub una quaſi cervice, juxta latæ ſemel legis rigorem, eadem Securi fuerant percuſſa. Quæ clare utique innuunt poſtrema Ariſtotelis ea de re verba, factum id, nempe* εἰς ὑπόμνησιν τοῦ περὶ τὸν παῖδα παθήματος, *ceu* in memoriam ejus, quam filius ſubierat, pœnæ ; *& ſuffragatur etiam eadem Suidæ hac de re narratio, cui ſubdit, inde Tenediorum nummo inſculptam hinc Securim,* illinc duas facies ſub una cervice , ἐφ' οὗ δὲ δύο πρόσωπα ἐξ ἑνὸς αὐχένος. *Quæ mea jam de hiſce ſententia exſtat in*
Monum. Antiq. 215.216. *laudato paullo ante Ampliſſimi Cuperi opere, cui referre etiam libuit & probare, quæ ego inter alia ab eo, ut ibi amice memorat, conſultus, de ſimili Tenediorum nummo, qualem ſe nactum perſcripſerat, ſignificaveram. Accedebat hiſce unus, qui apud Goltzium occurrit huc ſpectans Tenediorum nummus, in quo imberbis ac juvenilis utraque nummi facies viſitur ; & cui proinde haud abſimilem exiſtimabam eum, quem poſſidebat illuſtris*

luſtris

lustris Cuperus, aut forte etiam aliquod inter imberbis adolescentis & moechæ faciem discrimen clarius in eodem, quam apud Goltzium, expressum. Verum aliud postea me docuit nummi ipsius in edito viri Amplissimi opere adspectus, ubi non juvenilis utraque nummi, sicut apud Goltzium facies, sed hinc senilis & barbata, illinc muliebris visitur. Cujus notæ etiam quamquam in aliquibus diversi, duo Tenediorum nummi, a te jam in Thesauro Palatino, & ex iis unus iterum in fine tuarum Observatiorum, vulgati. Adeo ut de iis aliud statui debeat, non Regii scilicet adolescentis aut mœchæ, quod suadebant, qui ea de re agunt, auctores, sub una cervice capita hisce postremis Tenediorum nummis expressa; aut alia occasione hosce nummos ab iisdem signatos, retenta solum in aversa nummi parte Securi, ut proprio & peculiari Tenediorum insigni, sicut in altero etiam apud Goltzium nummo, anterior ejus pars non bicipitem vultum, sed radiatum Apollinem, aversa autem Securim præfert. Quo spectant aliæ ac diversæ, & quas ex parte viderunt jam Parœmiographi, veterum de Securi a Tenediis signata sententiæ; dum hi ad Securim pro tribunali a tergo Judicis, Tenis jussu, gestatam, qua mendacii convictos e vestigio feriret; alii ad præcisum Securi funem a Tene, quo patrem male de se meritum ab Insula repulit, & natum inde de Tenedia Securi *proverbium, referunt; quibus postremis, præter Pausaniam ac Stephanum, accensendus etiam Conon in Narrationibus apud Photium. A quibus rursus abit Plutarchus, & qui ab eo id hausit Suidas, dum ille,*

Ibid.

Suidas

lib. X. p. 634.

Biblioth. p. 440.

de Pyth. Oracul.

quod ſupra etiam obiter monui, & qua de re nihil in Theſauro tuo Palatino, ubi tres memoratas Bocharti de Securi Tenedia *ſententias refers, fuerat monitum, ad* Cancros, *qui apud Tenedios naſcerentur ,* Securigeros *ſeu cum Securis forma , id transfert. Cui ſententiæ etiam accedit , quod ſupra monui,* ὁ πάνυ *Bochartus , deducta inde fluvioli apud Tenedios , qui Cancros illos ſecurigeros ferret, a voce Arabica, quæ* Securim *notat , origine. Quamquam id acutius ab eo, ſicuti plura id genus, quam verius monitum omnino exiſtimem ; nec Plutarcho etiam graviſſimo alioquin Auctori, hic adſentiar. Nihil enim cauſæ ſuberat, cur pro more Inſularum aut Maritimarum alioquin urbium in hac ipſa nummorum ſuppellectile paſſim obvio, iidem Tenedii, Piſcem ſeu* Cancrum, *apud ſe peculiarem, non continuo ſignarent ; ſed cujus loco, & quidem ad indicandum ſimilem Cancrum, veram ſcilicet* Securim *obtruderent.* Cancros *certe marinos cernere etiamnum licet ſignatos in variis veterum locorum nummis, ut in Sicilia* Syracuſanorum, Agrigentinorum, Adrianorum; *in magna Græcia* Cumanorum, Sueſſanorum, Bruttiorum, Tarentinorum; *in Epiro*, Ambraciotarum; Ædepſi *in Eubœa ; aut* Liparæ *etiam prope Siciliam, in præclaro Cimeliarchii hujus Electoralis numiſmate. Adeo ut unam e prioribus, quas tradunt alii Scriptores antiqui, cauſam potiorem putem, cur ſignata fuerit in Tenediorum nummis Securis. Ipſos vero quod adtinet biformes in iis vultus, cur haud unius generis iidem , uti modo vidimus, occurrant ; ſed modo utraque, ſicuti apud Goltzium, juvenili forma ; modo una ſenili, altera muliebri, neque rurſus eodem vultus habitu, ſicut e vulgatis a te in The-*

ſau-

ſauro Palatino, & uno ex iis denuo a te ſupra adducto, & eo quem edidit illuſtris Cuperus, liquere cuivis poteſt. Monum. Antiq. p. 203. *Cujus equidem diſcriminis, aut quæ vera ſingulorum ratio fuerit, ubi pro genuinis ac vere antiquis habendi ſint ſinguli illi Tenediorum nummi, haud facile licet hodie ſtatuere. Si exſtaret etiamnum ipſe Ariſtotelis, quem memorant veteres, de Tenediorum Republica liber; aut Zoili, cujus Strabo meminit, Tenediorum En-* lib. VI. p. 671. *comium, rem totam haberemus forte magis exploratam. Quid tamen Ariſtoteles eodem de Tenediis libro, jam olim de ſimilibus eorum nummis, cum Securi &* διπροσώπῳ *ſub una cervice Capite ſenſerit, clarum ſatis, uti vidimus; & cui propius accedit depictus apud Goltzium Tenediorum nummus, cum imberbi utrinque, quamquam ferme ibi utroque muliebri, vultu. Reliquos quod ſpectat eorum nummos* διπροσώπους, *in quibus hinc, neque uno capitis habitu, barbatus; illinc muliebris vultus ſub una cervice cernitur, ille modo Herculem, modo Jovem magis referre videtur; unde Deianiræ ac Junoni licet alterum in iis vultum continuo tribuere. Neque te invito id fiet ac reluctante; quum inde ea, quam ſtatuebas in ſimili Tenediorum nummo, maritalis inter Conjuges communionis & concordiæ ratio, continuo eluceſcat. Gratum etiam mihi, Vir Eximie, in eo opportune hic deſinere, inſtitutamque tecum, & quidem tuo nutu, de præclaris aliquot nummis diſquiſitionem, conſenſus potius quam diſſenſus noſtri teſtimonio terminare. Unde ab iſto in nonnullis aliis diſſenſu uberius declarando, mihi quoque omnino hic temperaſſem; ni ſuperiori, eaque edita tua ad me Epiſtola, meam de hiſce ſententiam blande adeo, &*

iis

quidem verbis, quæ amor potius quam judicium tibi suggessit, a me continuo efflagitasses. Quamquam haud aliter cum hisce studiis, densa sæpe vetustatis caligine obsitis, comparatum norint, qui eadem paullo attentius versant, quam ut de aliorum conjecturis vel inventis, lente quidem & quasi fastidiose, sed tamen sine livore & convitio statuatur. Quorum neutrum a me tibi metuendum hic fuit, qui laudi, honori, industriæque tuæ favere pridem adsuevi; multo minus eo in opere præstari a me debuit, quod novis ingenii solertiæque tuæ haud vulgaris luminibus fulget, in meo autem nomine adparere & adquiescere quodammodo voluisti.




228

231

233

1


1.7.411

1.7.411



- controllo collazione;
- restauro carta (sutura di strappi e lacune, imbrachettatura, rammendc alla piega): carta giapponese Vang 517, veline giapponesi Vang 502, 508 e 561, adese con Tylose MH300p al 6%;
- ricomposizione fascicoli;
- pressatura tra cartoni, sotto pressa a colpo;
- preparazione fogli di guardia struttura "C" in Ingres Vang 20231 e pelle uovo;
- loose guard in giapponese Vang 517;
- cucitura piena su 4 nervi di capra allumata , ripieni di fettuccia di lino intrecciata: fili di lino inglese ritorto;
- incollatura del loose guard;
- posa in squadra del volume, dopo rifilatura guardie in testa e piede, e passaggio in colla, rimossa a spugna: Tylose MH300p 6%; prima della completa asciugatura leggera stondatura del dorso;
- bloccaggio cartoncino LC a filo delle controguardie;
- indorsatura: caselle ricoperte in carta giapponese, adesa con Tylose MH300p 6%; indorsatura in pelle uovo a pezzo unico con finestre, per l' emersione dei nervi;
- capitelli naturali con anima in capra allumata, ripiena di fettuccia di lino intrecciato, passanti al centro fascicoli e sotto catenella: filo di lino ritorto;
- piegature coperta: in sequenza, piegatura del rimbocco al piede, in testa, al piatto posteriore, al dorso e al piatto anteriore; le piegature vengono agevolate dall' uso di un punteruolo arrotondato in punta con cui si esercita pressione sulla linea di piegatura dalla parte del carniccio;
- taglio della pergamena: per gli incastri le misure sono state individuate con sesta e segnate con punteruolo mentre la foratura è ottenuta con fustella fine; sagomature con slim-knife;
- infilatura dei nervi e dei capitelli in fori ottenuti a fustella media;
- piegatura dei labbri; lacci in capra allumata.

luglio 1998

